De Sibyllarum indicibus ...

Ernst Maass





DE SIBYLLARUM INDICIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVIII. MENSIS IULII ANNI MDCCCLXXIX
H. XII.
VNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR



ERNESTUS MAASS
POMERANUS.



ADVERSARII ERUNT:

FR. TANK, CAND. PHIL.
R. GAEDE, CAND. PHIL.
G. KNAACK, SEM. REG. PHIL. SEN.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXIX.

ADOLFO KIESSLING

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

PIETATIS ERGO.

I. Sibyllarum indicum conspectus.

De Sibyllarum numero variae admodum et inter se discrepantes sunt veterum sententiae. Vnam alii, alii duodecim fuisse censent, alii alios qui inter istos terminos interiacent numeros probant. Constat enim unam Heraclito, qui omnium primus Sibyllam nominavit [fr. XII Bywater] Euripidi [p. 402 Nauck] Aristophani [Pac. 1095 et 1116] Platoni [Phaedr. p. 244] aliis innotuisse; complures qui distingueret, primus videtur Heraclides Ponticus in libro *περὶ χρηστηρίων* exstitisse scil. Erythraeam, Phrygiam, Hellesponticam [1]). Et duas quidem —

1) Clemens Alex. strom. p. 139 S. καὶ οὔτε γε μόνος οὗτος [Moses], ἀλλὰ καὶ ἡ Σίβυλλα Ὀρφέως παλαιοτέρα· λέγονται γὰρ καὶ περὶ τῆς ἐπωνυμίας αὐτῆς καὶ περὶ τῶν χρησμῶν τῶν καταπεφημισμένων ἐκείνης εἶναι λόγοι πλείους· Φρυγίαν τε οὖσαν κεκλῆσθαι Ἄρτεμιν, καὶ ταύτην παραγενομένην εἰς Δελφοὺς ᾆσαι·

ὦ Δελφοί, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος·
ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο·
αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι.

ἔστι δὲ καὶ ἄλλη, Ἐρυθραία Ἡροφίλη καλουμένη· μέμνηται τούτων Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ χρηστηρίων. Accedit Varro [Lactant. inst. I, 6]: *octavam Hellesponticam in agro Troiano natam vico Marpesso circa oppidulum Gergithum, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri fuisse temporibus.* — Problemata Aristotelea neque Heraclidis aetatem superant nec plures Sibyllas testantur cf. p. 954 a 36 Bekker: πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς ἢ ἐνθουσιαστικοῖς, ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες καὶ οἱ ἔνθεοι γίνονται πάντες. — Aristoteles ipse quid de Sibyllis senserit, nescio. Nam quod Suid. s. v. narrat Sibyllam Erythraeam τὸ τρίγωνον εἶδος λύρας invenisse, non recte D. Volkmannus [de Suidae biographicis I Bonn. 1861 p. 11 sqq.] ad Aristotelis librum περὶ ποιητῶν revocavit, quoniam Sibyllarum memoria primitus nunquam cum poetis coniuncta erat.

ut ordine progrediar — doctus Martiani Capellae auctor Erythraeam et Troianam recensuit [2]). Tres praeter Heraclidem Philetas Ephesius [3]) ceteroquin obscurus et Bocchus Neronis aequalis [4]) exhibent ita quidem, ut Delphicam faciant primam,

---

Vnam etiam novit Scamo Mytilenaeus περὶ εὑρημάτων scriptor — quem Hellanici filium credit esse Wilamowitzius — qui Ath. XIV p. 637 'Sibyllam' primam narrat usam esse sambuca. — Idem valet de Callisthene cf. Strabo p. 814: περὶ δὲ τῆς εὐγενείας [Alexandri] καὶ τὴν Ἐρυθραίαν Ἀθηναΐδα φησὶν [Callisthenes] ἀνειπεῖν· καὶ γὰρ ταύτην ὁμοίαν γενέσθαι τῇ παλαιᾷ Σιβύλλῃ τῇ Ἐρυθραίᾳ. cf. p. 645. Patet Athenaidem a Callisthene dici non 'Sibyllam' sed 'fatiloquam quasi Sibyllam'.

2) II p. 159: *alii quoque huius generis homines in divinandi usum et praescientiam procreati, ut . . . Sibylla vel Erythraea quaeque Cumaea est vel Phrygia, quas non decem, ut asserunt* [scil. Varro], *sed duas fuisse non nescis, id est Herophilam Troianam Marpessi filiam et Symmachiam Hippotensis filiam, quae Erythra progenita etiam Cumis est vaticinata.*

3) Schol. Ar. avium 962: τρεῖς Βάκιδες, ὡς Φιλητᾶς ὁ Ἐφέσιος οὕτως· Σίβυλλαι δὲ τρεῖς ἐγένοντο ὧν ἡ μέν ἐστιν, ὡς διὰ τῆς ποιήσεως φησίν, Ἀπόλλωνος ἀδελφὴ [i. e. Delphica], δευτέρα δὲ ἡ Ἐρυθραία, τρίτη δὲ ἡ Σαρδιανή. καὶ Βάκιδες ὁμοίως τρεῖς, ὁ μὲν ἐξ Ἐλεῶνος τῆς Βοιωτίας, ὁ δὲ Ἀθηναῖος, ὁ δὲ Ἀρκάς. Hinc sua prompsere Aelianus V. H. 12, 35. scholion in Aristidem ὑπὲρ ῥητορικῆς 22 A [p. 123 Frommel], schol. in Lycophr. v. 1279 [ubi stulte Delphica Philetae cum Cumana Lycophronis confunditur], Suid. s. v. Βάκις, Eudocia s. v. Σίβυλλα, Bacides tres redeunt in schol. Aristoph. equ. 123, pac. 1077. Duo, Boeotius et Arcas, apud Clem. Alex. strom I p. 333.

4) Solin. p. 38 Momms.: „*Delphicam autem Sibyllam ante Troiana bella vaticinatam Bocchus autumat, cuius plurimos versus operi suo Homerum inseruisse manifestat. Hanc Herophile Erythraea* [codd. perperam Herophilen; sic vocatur Erythraea, nunquam Delphica] *annis aliquot intercedentibus insecuta est, Sibyllaque appellata de scientiae parilitate, quae inter alia magnifica Lesbios amissuros imperium maris multo ante praemonuit, quam id accideret. Ita Cumanam tertio fuisse post has loco ipsa aevi series probat.*" — Unde Bocchus hauserit, altioris est indaginis. De Eratosthene nemo cogitabit, quippe qui Delphicam et Cumanam non habuerit, nec de Varrone, ut mavolt C. Alexandre [excursus ad Sibyllina etc. Paris 1856 p. 40]: ibi enim plane diversa narrantur. — Mentione dignum, quod de Delphica Bocchus fere concinit cum iis, quae in Diodoro IV, 66 de Daphne Tiresiae filia leguntur [quae apud Suid. s. v. Σιβ. Θετταλή audit Sibylla]. Cui uterque refert Homerum multa suffuratum esse ad suam ornandam poesin. — Homeri et furta et mendacia primitus inclaruisse videntur ex or. Sibyll. III, 419 sqq. anno 124 a. Chr. n. conscripto [cf. Ewald, abh.

secundam Erythraeam, tertiam ille Phrygiam, hic Cumanam. Quattuor deinde sic conlegit Clemens [5]), ut Heraclidis Phrygiae et Erythraeae Aegyptiam adiungeret et ex Varrone Italam. Cum cuius numero quamquam consentit auctor Aeliani [6]), de ipsis tamen Sibyllis dissentiens Erythraeam Samiam Aegyptiam Sardianam temporum habita ratione enumeravit. Porro Hadrianea aetate [7]) sive fuit Dionysius Halicarnasensis seu alius nescio quis octo eas Sibyllas, quae scripta oracula reliquissent, apud Suidam in unum catalogum coniunxit, Delphicam, Erythraeam, Elissam, Colophoniam, Thessalam, Phrygiam, Cumanam, Thesprotidem. — Cui simillimus alter Clementis

d. königl. gesellsch. d. wiss. zu Göttingen 1860 p. 49 sqq.]. — Ad quem indicem Ausonius in ‚Gripho ternarii numeri' v. 85 [ed. Paris. 1730 p. 349] respexerit [„et tres fatidicae, nomen commune, Sibyllae"], nescio.

5) Pergit Clemens: Ἐῶ δὲ τὴν Αἰγυπτίαν καὶ τὴν Ἰταλήν, ἣ τὸ ἐν Ῥώμῃ Κάρμαλον ᾤκησεν, ἧς υἱὸς Εὔανδρος ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ Λουπερκάλιον [Λουπέρκιον cod.] καλούμενον κτίσας. — Κάρμαλον Wilamowitzio videtur posuisse propter Carmentam Sibyllam cf. Iuba apud Plut. Qu. R. 56 [Barth „de Iubae ὁμοιότησιν" Gottingae 1876 p. 44].

6) V. H. 12, 35: Σίβυλλαι τέτταρες· ἡ Ἐρυθραία, ἡ Σαμία, ἡ Αἰγυπτία, ἡ Σαρδιανή [οἱ δέ φασι καὶ ἑτέρας ἕξ, ὡς εἶναι τὰς πάσας δέκα, ὧν εἶναι καὶ τὴν Κυμαίαν καὶ τὴν Ἰουδαίαν. An Varro?].

7) Suid. s. v. Σ. Δελφίς, ἣν καὶ Ἄρτεμιν προσηγόρευσαν· γέγονε δὲ αὕτη πρὸ τῶν Τρωικῶν καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Σ. Ἐρυθραία, ... γέγονε δὲ τοῖς χρόνοις μετὰ υπγ' ἔτη τῆς Τρωικῆς ἁλώσεως [codd. μετὰ υπγ' ἔτη post ἁλώσεως transposuit Bernhardyus in adn. cf. s. v. Ὅμηρος, Λίνος, Ὀρφεύς.] καὶ συνετάξατο βιβλία ταῦτα περὶ παλμῶν, μέλη, χρησμούς· λέγεται δὲ καὶ τρίγωνον εἶδος λύρας αὐτὴν πρώτην εὑρεῖν.

Σ. Ἔλισσα [an Punica? cf. Serv. ad Verg. Aen. I, 340] ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Σ. Κολοφωνία ἥτις ἐκλήθη καὶ Λάμπουσα ἀπόγονος Κάλχαντος· καὶ αὕτη μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν καὶ ἄλλα.

Σ. Θετταλή ἡ κληθεῖσα καὶ Μαντὼ ἀπόγονος Τειρεσίου.

Σ. Φρυγία ἡ κληθεῖσα ὑπό τινων Σάρυσις, ὑπὸ δέ τινων Κασσάνδρα, ἄλλων δὲ Ταραξάνδρα· καὶ αὐτὴ χρησμούς.

Σ. Κυμαία καὶ Σ. Θεσπρωτίς ὁμοίως χρησμούς. — Quae post Delphicam inseritur Chaldaea [ὅτι ὁ πατὴρ τῆς Σιβύλλης τῆς Χαλδαίας Βηρωσσὸς ἐκαλεῖτο, ἡ δὲ μήτηρ αὐτῆς Ἐρυμάνθη] manifesto ex Paus. X, 12 a Suida ipso interpolata est ideoque eicienda.

[strom. p. 144 S.] exstat catalogus, octo is quoque complexus: Phyto Samiam, Colophoniam, Cumanam, Erythraeam, Phrygiam Taraxandram, Macedoniam, Thessalam, Thesprotidem [= Macedoniam?]. — Restant Varronis index, qui decem continet, atque is, qui in chronico Paschali traditur, cum Varroniano, etsi proponit duodecim, arte tamen coniunctus, de quibus eorumque asseclis pluribus postea disseram: hoc enim alterum est, quod hac dissertatione praestabo. Accedit alterum. Quod enim in illa indicum recensione Pausaniae quattuor omisi Sibyllas X 12 nominatas, de industria feci, quia illud caput obiter tetigisse non sufficit, sed quam adcuratissime necesse est pertractare. Ita enim illud comparatum est ut, modo acrius quam factum adhuc est, consideretur, valeat ad ea, quae de Pausaniae in scribendo ratione nuper in utramque partem scripta sunt [8]), discernenda.

Dixi de quibus scripturus sim: quo ordine procedendum sit, eo efficitur, quod, cum quaestio de indice Varroniano instituenda plerumque ad scriptores partim serioris partim infimae antiquitatis tendat, Pausanias in laetiora tempora nos revocabit; ab hoc igitur incipiam.

II. De Sibyllarum indice Pausaniano.

§ 1. De Pausania.

Pausanias ubi Delphorum peribolum describens ad saxum illud pervenit [X, 12], ex quo Sibyllam quondam vaticinatam esse ferunt, re, ut par erat, breviter exposita, non statim ad

8) Wilamowitzius [‚Thucydideslegende' Herm. 1877 p. 344 sqq. ‚Galliamben des Callimachus und Catullus' Herm. 1879 p. 196 n. 1], C. Robertus [‚de Gratiis Atticis' comm. Momms. p. 143 sqq.], Hirtius [‚de Pausaniae in Eliacis fontibus' Gryph. 1878]. — Contra Wilamowitzium R. Schöllius [‚zur Thucydidesbiographie' Herm. 1878 p. 433 sqq.]. Ceteros missos facio.

cetera in peribolo visenda pergit, sed more suo a proposito ita digreditur, ut de vatibus nonnullis disputet, et primum quidem idque doctissime de numero Sibyllarum. Quattuor enumerat, sicuti ordo temporum ferebat, quarum primae patria codicibus excidit; altera Troiana fuit; Cumana tertia; quarta Iudaea; de unaquaque quantum resciverit, diligentissime narrat. In quo id potissimum mentione dignum, quod et Troianam et Iudaeam a nonnullis adfirmat in complures Sibyllas temere distineri; nam Iudaeam ab Aegyptia et Babylonia qui distinguerent, fuisse scribit — et re vera fuere — Troianam, cum Sami, Colophone, Deli, Delphis diutius commorata esset, ansam dedisse ad fingendas Sibyllas, Samiam, Colophoniam, Deliam, Delphicam satis indicat. Etiam praefracte negat Erythraeam omnino fuisse atque adeo castigat Erythraeos, qui Herophilam Troianam fraude sibi vindicare studeant. Namque eos ex hisce illius versibus:

εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε
νύμφης ἀθανάτης, πατρὸς δ' ἐκ σιτοφάγοιο,
μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δ' ἐμοὶ ἐστιν ἐρυθρή
Μαρπησσός, μητρὸς ἱερή, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς·

ultimum eiecisse, quo illa patriam suam, Marpessum videlicet in Troade prope ad Idam montem sitam, diserte nominavisset. Quid? quod sepulcrum Herophilae in Sminthio Troadis non solum fatetur se ipsum vidisse, sed etiam inde epigramma, quo ornatum erat, descripsisse [9]).

Haec omnia reputanti ita mihi iudicandum videtur esse nec studio nec doctrina ceterorum indicum scriptores, quos supra attuli, ullo pacto posse cum Pausania comparari, quippe qui et literarum monumenta [velut oracula ipsa et Hyperochi *Κυμαϊκά* fere ignota] sit perscrutatus, et Sibyllae gratia —

9) Quartus et quintus epigrammatis versus sic legendi sunt:
ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ἑρμῇ τῷδ' ὑποκεῖμαι
μοῖραν ἔχουσα κάτω τᾶς τότ' ἀνακτορίας.
codd. ἔχοισ Ἑκάτω; emendavit Wilamowitzius.

nam ceteroquin Troadis locorum non meminit ut testis oculatus — agrum Troianum permigraverit. Adde quod de Cumana Sibylla non supersedit ipsos periegetas Cumis consulere: summa sane admiratio cui impertiatur, Pausanias videtur esse dignissimus [10]). — Quodsi nihilo secius nunc hoc propono, quod plane mihi persuasi, totam illam de Sibyllis doctrinam ex libro quodam Pausaniam integram esse suffuratum, novum quoddam et paene inauditum proponi vereor ne omnes propemodum, qui haec in manus sumpserint, sint clamaturi. Attamen sat firmis mea sententia nititur argumentis; unum modo, antequam rem sane arduam adgrediar, exopto, ne quis praeoccupata ea opinione, quasi nunquam peccare potuisset Pausanias, ad eam deveniat interpretandi perversitatem, ut obscura quaedam in Pausania aut latere aut supplenda esse contendat [11]). Etenim tota fere argumentorum meorum gravitas in eo posita est, quod Pausanias aut ipse a se prorsus discrepat aut adfirmat se ipsum in regione aliqua opinionem quandam percepisse, quam non illic sed plane alibi viguisse evincere possum. Tantas discrepantias qui ita, ut ambagibus utantur et artificiis, malunt tollere, quam ut ratio poscit [12]), eos scio ne verbum quidem mihi esse credituros.

1. Pausanias igitur quattuor Sibyllarum catalogum eo consilio confecit, ut et barbaris orientem incolentibus et Graecis et Italis singulas tribueret [Iudaeam, Troianam, Cumanam], quamquam multo plures in unaquaque terra illa aetate innotuerant, velut Aegyptia et Babylonia apud barbaros; Erythraea et Samia apud Graecos; in Italia Cimmeria et Tiburtina; tres illas quarta antecedit, quae unde oriunda fuerit, codicum ar-

10) Et visus est G. Krügero [‚Theologumena Pausaniae' Leipzig 1860 p. 38] aliis.

11) Cf. Wilamowitzium l. c. istam artem castigantem.

12) Egregio uno exemplo, quomodo in Pausania sit procedendum, O. Iahnius docuit [Herm. 1868 192], quo usus Hirtius amicus p. 36 scriptum fontem in Eliacis adeptus est.

chetypo excidit. Sic enim caput incipit: *πέτρα δέ ἐστιν ἀνίσχουσα ὑπὲρ τῆς γῆς· ἐπὶ ταύτῃ στᾶσάν φασιν ᾆσαι τοὺς χρησμοὺς ὄνομα Ἡροφίλην, Σίβυλλαν δὲ ἐπίκλησιν· τὴν πρότερον γενομένην ταύτην ἐν τοῖς* [13]) *μάλιστα οὖσαν ἀρχαίαν εὕρισκον, ἣν θυγατέρα Ἕλληνες Διὸς καὶ Λαμίας τῆς Ποσειδῶνός φασιν εἶναι καὶ χρησμούς τε αὐτὴν γυναικῶν πρώτην ᾆσαι καὶ ὑπὸ τῶν Λιβύων Σίβυλλαν λέγουσιν ὀνομασθῆναι· ἡ δὲ Ἡροφίλη νεωτέρα μὲν ἐκείνης* etc. Post verba ‚*Σίβυλλαν δὲ ἐπίκλησιν*' alius Sibyllae mentio iniecta est; ibi esse lacunam interruptus docet conexus. Quae in censum veniunt supplementa omnia ideo reprobanda sunt, quod, quae et unde haec fuerit Sibylla, in dubio relinquunt, cum ceterae omnes certa ratione significatae sint [14]): imprimis igitur natio Sibyllae quaerenda est. Atque, quod ex verbis ‚*καὶ ὑπὸ τῶν Λιβύων Σίβυλλαν λέγουσιν ὀνομασθῆναι*' conligo eam esse Libycam, egregie video confirmari a Duride Samio [15]), qui teste Euripide narrat Lamiam in Libya regnasse. Lamia autem in prologo quodam Euripideo filiae suae meminerat ut ‚Sibyllae', vel, ut cautius iudicem, ut ‚fatidicae': qua re Varro eam in suum Sibyllarum indicem nomine quidem omisso recepit [16]).

Hoc ego nixus fundamento recte mihi sententiam videor sic explere, ut Libycae mentionem iniciam, velut ‚*κατὰ τὴν παρὰ Λίβυσι*' vel tale quid: verba enim ipsa non possunt recuperari. — At cur quartam illam intulit Sibyllam, cum sua barbaris iam esset? Nimirum, ut Sibyllae nomen, cum

---

13) codd. ἐν ταῖς μάλιστα ὁμοίως: aut ὁμοίως cum Wilamowitzio aut ἐν delendum est. cf. Hermannus ad Viger. p. 418³.

14) Explevit Boeckhius ‚τὴν δὲ Σίβυλλαν'. Item fere Schubartus ‚[τὴν δὲ Σίβυλλαν] τὴν πρότερον γενομένην ταύτης.' vel ‚τὴν δὲ πρότερον γενομένην ταύτης'. Alexandre p. 74 inserit κατά.

15) Diodor XX 41 cf. C. Müller F. H. G. II, 476. Nitsche ‚Koenig Philipps brief'. 6 [Progr. des Sophiengymn. Berlin 1876].

16) Lactant. inst. I 6: *secunda Libyca, cuius meminit Euripides in Lamiae prologo* [cf. Wilamowitz. anal. Eur. p. 159].

Graecum non videretur esse, e barbara quadam lingua repeteret [*καὶ ὑπὸ τῶν Λιβύων Σίβυλλαν ὀνομασθῆναι*]. Unde etiam factum est, ut Libycam ceteris anteponeret, quippe quae ceteris nomen dedisset.

Aperta igitur est ratio — nimis illa quidem quaesita ideoque improbanda — quae in recensendis Pausaniae Sibyllis obtinuit!

At quotiescunque in ceteris periegeseos partibus oracula Sibyllina adscripsit, nunquam plures sed unam semper novit Sibyllam, non aliter quam Heraclitus Aristophanes Plato alii innumeri. Etenim II, 7, 1 Rhodi motum refert Sibyllam praemonuisse diu, antequam accidisset [17]. Cuius Sibyllae? Libycaene an Troianae? An cuius illud est vaticinium? Quattuor enim acriter et artificiose ipse distingui iubet Pausanias. VII, 8, 8 non sine deo adfirmat Sibyllam de interitu regni Macedonii esse praelocutam [18]. Iterum scire vellem, quam ex quattuor illis intellegat, praesertim cum de Macedonibus et Persicae [19] [i. e. Babyloniae] et Erythraeae [20] vaticinia circumferrentur. At quoniam ita plane loquitur, quasi una tantummodo Sibylla exstitisset, necessario concludo non plures ei illa scribenti innotuisse. Quam concludendi necessitatem minime ii defugient, qui *Σίβυλλαν* pro *Σ. τινα* dictum esse censebunt. Immo cum ii, quos unam cognitam habuisse constat, velut Plato [21], *Σίβυλλαν* pro *τὴν Σίβυλλαν* scriptitave-

17) καὶ Ῥοδίοις ἐσείσθη μάλιστα ἡ νῆσος, ὥστε καὶ τὸ λόγιον τετελέσθαι Σιβύλλῃ, τὸ ἐς τὴν Ῥόδον ἔδοξεν.

18) τὰ ἐς Μακεδόνας δύναμίν τε, ἣν ἐπὶ Φιλίππου περιεβάλλοντο τοῦ Ἀμύντου, καὶ ὡς ἐπὶ Φιλίππου τοῦ ὑστέρου τὰ πράγματα σφίσιν ἐφθάρη, Σίβυλλα οὐκ ἄνευ θεοῦ προεθέσπισεν· ἔχει δὲ οὕτως τὰ χρησθέντα· [sequitur oraculum].

19) Varro l. c.: *Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res Alexandri Magni scripsit.*

20) Callisthenes apud Strabonem p. 814.

21) Phaedr. p. 244 ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλάν τε καὶ ἄλλους, ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ πολλὰ δὴ πολλοῖς προλέγοντες εἰς τὸ μέλλον ὤρθωσαν, μηκύνοιμεν ἂν δῆλα παντὶ λέγοντες.

rint, — Sibyllam scilicet pro nomine proprio, non pro appellativo accipientes — sequitur, ut idem Pausanias voluisse statuendus sit. Hucusque igitur rem deduxi, ut Pausaniam in libro X ab iis, quae libri VII et II exhibent, graviter ipsum dissentire adpareat.

Forsitan quispiam dixerit illo ipso temporis spatio, quod inter librum VII et X interesse videatur, Pausaniam in Sibyllarum numerum diligentius inquisivisse. At cur se non postea correxit? Praeterea, ut hoc praecidam, tribus pagellis ante egregium illud doctrinae studiique specimen rursus oracula Sibyllina adfert idque ita, quasi de pluribus Sibyllis nusquam ne tantillum quidem comperisset; dicit enim: *καὶ ἐς ἀπόδειξιν τοῦ λόγου Σιβύλλης παρέχονται τῶν χρησμῶν* . . . et ib. § 12 *τὸν δ' ὑπὲρ τῆς καλουμένης Θυρέας Λακεδαιμονίων ἀγῶνα καὶ Ἀργείων Σίβυλλα μὲν καὶ τοῦτον προεθέσπισεν* . . . Tanta inter pauculas paginas discrepantia manifesto non aliter potest tolli, quam, ut alteram utram sententiam extrinsecus ascitam esse iudicetur. Id quoque patet Pausaniam, si ipse plures cognovisset Sibyllas, nullo pacto ita Sibyllam commemoraturum fuisse, tanquam de una cogitaret: inde, quod efflagitatur, conligo totam illam de quattuor Sibyllis disputatiunculam ex libro quodam esse transscriptam.

2. Progredior ad alterum argumentum. Si credimus Pausaniae, Herophilam Troianam ex saxo illo Delphico vaticinia cecinisse a Delphis ipsis audivit. Sic enim initio capitis 12 diserte scripsit: *πέτρα δ' ἐστὶν ἀνίσχουσα ὑπὲρ τῆς γῆς· ἐπὶ ταύτῃ Δελφοὶ στᾶσάν φασιν ᾆσαι τοὺς χρησμοὺς ὄνομα Ἡροφίλην, Σίβυλλαν δ' ἐπίκλησιν* [Marpesso Troadis oriundam]. At Sibyllam proprie Delphicam satisque vetustam abunde testantur auctores locupletissimi, ex quibus nomino Philetam Ephesium [cf. p. 2], Chrysippum[22]), egregium Bocchi auctorem [cf. p. 2], Suidae in biographicis fon-

22) Varro l. c.: *tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de divinatione composuit.*

tem, qui aetate Hadrianea paucis ante Pausaniam annis floruit. Quodsi satis constat Delphicam Sibyllam tota fere antiquitate maximeque Pausaniae ipsius aetate vulgo creditam fuisse, Delphos ipsos, quorum plurimi interesse debebat in saxo illo Sibyllino indigenam stetisse Sibyllam, eam aut ignorasse aut non agnovisse quis sibi persuadebit? — Adsumo denique Plutarchum, Apollinis Delphici olim sacerdotem ideoque eorum, quae Delphi ipsi credebant, testem omnium gravissimum. Is in dialogo ‚de Pythiae oraculis' fingit cum amicis quibusdam postquam alia multa spectasset, se ad saxum Sibyllinum adstantem c. 9: *ἐπεὶ γὰρ ἔστημεν κατὰ τὴν πέτραν γενόμενοι τὴν κατὰ τὸ βουλευτήριον, ἐφ' ἧς λέγεται καθίζεσθαι τὴν πρώτην Σίβυλλαν ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος παραγενομένην ὑπὸ τῶν Μουσῶν τραφεῖσαν*[22a]· *ἔνιοι δέ φασιν* [scilicet Acesander ‚Libycorum' auctor[23])] *ἐκ Μαλιέων*[24]) *ἀφικέσθαι Λαμίας οὖσαν θυγατέρα τῆς Ποσειδῶνος*· Plutarchus igitur non modo non Troianam Herophilam sed, id quod Delphi sibi persuaserant, Delphicam in saxo illo Delphico conlocavit.

Demonstravi sententiam Delphis a Pausania imputatam Delphicam non fuisse: ergo non unde eam se comperisse simulat ab ipsis Delphis sed a scripto quodam libro sua accepit.

22a) Delphica videtur esse apud Antonium Diogenem cf. Erot. script. I, 236 [Rohde griech. Roman p. 269 n. 1].

23) cf. Plut. qu. symp. 5, 2. Vt certamen in honorem Peliae factum vinceret Sibylla, e Libya in Thessaliam deducta est ab Acesandro.

24) codd. ἐς Μαλεῶνα ἀφικέσθαι. At neque Μαλεών locus ullus est et desideratur unde illa venerit. Atqui Clem. Alex. strom. 131 S., ubi descripsit Plutarchi dialogum illum, exhibet Μαλιαίων. Inde Dindorfius Μαλεῶν edidit. At quid Lamiae et Sibyllae Delphicae est cum promunturio Malea? Verum Alexandre p. 42 invenit ‚Μαλιέων'. Maliensium enim Lamia erat urbs, quae a Lamia Trachinia nomen duxerat cf. Steph. Byz. s. v. Λαμία· πόλις Θεσσαλίας, τῶν Μηλιέων· οἱ μὲν ἀπὸ Λάμου τοῦ Ἡρακλέους φασίν, οἱ δὲ ἀπὸ Λαμίας γυναικός, ἣ ἐβασίλευσε Τραχινίων· Thessaliam constat cum oraculo Delphico arte cohaesisse.

3. Tertium sequatur argumentum. Cumanae Sibyllae oraculum quod sibi monstrarent, Cumanos nullum Pausanias queritur habuisse § 8: *χρησμὸν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης οὐδένα εἶχον ἐπιδείξασθαι.* Itane vero? Ferebantur utique Pausaniae aetate de Cumarum fatis [25]) vaticinia Sibyllina, quae Cumanos quidem ad suam Sibyllam rettulisse nonne per se consentaneum videtur? Ut hanc quoque quaestionem simul cum pulvisculo exhaurire possim, Pseudoiustini [saeculi II exeuntis aut ineuntis III] testimonio factum est, cui, quoniam ipse Cumas paullo post Pausaniam visit, quamvis sit stultus homunculus, nos adcredere par est. *Αὐτοὶ γάρ*, inquit [coh. ad Graecos 35 E], *ἐν τῇ πόλει γενόμενοι παρὰ τῶν περιηγητῶν μεμαθήκαμεν τῶν καὶ τοὺς τόπους ἡμῖν ἐν οἷς ἐχρησμῴδει ὑποδειξάντων καὶ φακόν τινα ἐκ χαλκοῦ κατεσκευασμένον, ἐν ᾧ τὰ λείψανα αὐτῆς σῴζεσθαι ἔλεγον· ἔφασκον δὲ μετὰ πάντων, ὧν διηγοῦντο, καὶ τοῦτο ὡς παρὰ τῶν προγόνων ἀκηκοότες, ὅτι οἱ ἐκλαμβάνοντες τοὺς χρησμοὺς τηνικαῦτα ἐκτὸς παιδεύσεως ὄντες πολλαχοῦ τῆς τῶν μέτρων ἀκριβείας διήμαρτον· καὶ ταύτην ἔλεγον αἰτίαν εἶναι τῆς ἐνίων ἐπῶν ἀμετρίας, τῆς μὲν χρησμῳδοῦ διὰ τὸ πεπαῦσθαι τῆς κατοχῆς καὶ τῆς ἐπιπνοίας μὴ μεμνημένης τῶν εἰρημένων, τῶν δὲ ὑπογραφέων δι᾽ ἀπαιδευσίαν τῆς τῶν μέτρων ἀκριβείας ἐκπεπτωκότων·* Quinam, quaeso, *ἀμετρίαν* versuum Sibyllae Cumanae excusare periegetae poterant, nisi illis versus quidam praesto erant manci ii quidem, attamen versus? — Illa autem carmina Cumanae tempore Hadrianeo sedem in Suidae catalogo paraverant (s. v. *Σίβυλλα Κυμαία ... ὁμοίως χρησμούς*). — Iterum igitur id, quod dictitat se audivisse, nullo modo potuit audire; ex libro potius prompsisse censendus est [26]).

---

25) Plut. de Pyth. or. c. 9: ταυτὶ δὲ τὰ πρόσφατα καὶ νέα πάθη περί τε Κύμην καὶ Δικαιαρχίαν οὐχ ὑμνούμενα πάλαι καὶ ᾀδόμενα διὰ τῶν Σιβυλλείων ὁ χρόνος ὥσπερ ὀφείλων ἀποδέδωκεν· καὶ πετρῶν καὶ φλεγμονῶν ὑπὸ πνεύματος ἀποῤῥίψεις καὶ φθορὰς πόλεων ἅμα τοσούτων καὶ τηλικούτων, etc.

26) Qui liber quando scriptus sit, praepropere erunt qui suspicentur.

num, Michaelem Glycam[30]). Babyloniam [sive Persicam] Nicanor testatur. Iudaea denique ex oraculorum Sibyllinorum libro III [anno 124 in Aegypto a Iudaeo quodam scripto cf. Ewald l. c.] inclaruit[31]), ex Babylonia tamen derivata[32]). A quibus quin pendeat Pausaniae auctor, non dubium est, si quidem Iudaeae patrem Babylonium natione — Berosi enim nomen Babylonium — dedit.

His praemissis de singulis disputabo, ac primum quidem de tempore, deinde de parentibus, denique de nomine Iudaeae.

Post Cumanam vixisse Iudaeam diserte in illo capite est dictum. Atqui Cumanam Tarquinio — Prisco vel Superbo — vaticinia sua obtulisse omnes fere consentiunt, nec noster dissentit; quomodo enim scribere potuit, Cumis suo tempore oracula exstitisse nulla? Adcuratiora tum demum sciri poterunt, si de Beroso patre dixero. Etenim Berosus Babylonius non alienus a Graecis fuisse videtur, quandoquidem Graecam duxit uxorem Erymanthen. Iam vero Alexandri Magni aetate Berosus Babylonius, Beli olim sacerdos, in Graecia vixit (in Co insula potissimum) scripsitque Graece Chaldaeorum, Assyriorum, Iudaeorum res gestas: hunc igitur pro Sibyllae patre habendum esse existimo, praesertim cum alter Berosus nusquam inveniatur[33]). Et quod coniectura nactus sum, mani-

---

30) Annales p. 343. Bekker: Σοβὰ [= Σαβά] ἔθνος Αἰθιοπικόν· τούτων ἐβασίλευσεν ἡ θαυμαστὴ ἐκείνη Σίβυλλα· μήτε γὰρ νόμον εἰδυῖα μήτε προφητῶν ἀκούσασα διὰ τοῦ Σαλομῶνος τὸν τῆς σοφίας ὕμνησε χορηγόν.

31) Hoc ante me monuit Alexandre p. 86.

32) cf. orac. Sib. III, 808:
ταῦτά σοι ᾿Ασσυρίης Βαβυλώνια τείχεα μακρὰ
οἰστρομανὴς προλιποῦσα ἐς ῾Ελλάδα πεμπόμενον πῦρ
πᾶσι προφητεύουσα . . . ib. 218 sq.

33) Nam qui apud Pseudoplutarchum de fluv. p. 65 sq. Hercher. occurrit, eum ab scriptore ipso fictum esse post Hercheri egregiam commentationem nemo negabit. — Alexandre p. 83 ad Berosum alterum 'antiquissimum' ac paene fabulosum Sibyllae paternitatem refert. At post Cumanam vixit ista. Praeterea, unde sibi alterum Berosum — nisi forte ex

festo confirmat Pseudoiustinus coh. ad Graec. p. 34 E: *ταύτην ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασι Βηρωσσοῦ τοῦ τὴν Χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος θυγατέρα οὖσαν* [34]) ... Id si tenemus, non incerti, quid de ‚Berosiana Sibylla' Mosis Choronensis, quae de turri Babylonia et de diluvio non aliter atque Iudaea illa cecinit [hist. Armen. I, 5] [35]) faciendum sit, haerebimus. Ex Pausaniae enim et Pseudoiustini similitudine istam Berosianam ‚filiam Berosi' interpretor, non — id quod Freudenthalius per litteras a me interrogatus suadet — a ‚Beroso citatam'.

Iudaeam igitur, Berosi filiam, secundum Pausaniam [et Pseudoiustinum Mosemque] non ante annum a. Chr. n. 300 vixisse intellegitur. Contra a ceteris miro consensu in priscam antiquitatem removentur et Iudaea et Babylonia et Aegyptia. Aegyptiam enim Salomonis aequalem fecit auctor Glycae; Babyloniam Varro ut vetustissimam Nicanoris fretus testimonio in initio catalogi sui ad temporis rationem redacti posuit; Iudaea denique diu ante Homerum se floruisse ipsa cecinit [cf. or. Sib. III, 419 sq.] Mira ista in Pausania perturbatio quo modo nata sit, perspicitur, dummodo Berosi paternitatem in causa fuisse concedatur. Itaque sic potius quaestio conformanda est: qui acciderit, ut Berosum scriptorem nescio quis Sibyllae parentem nuncuparet. Duae [36]) huius rei explicationes cum veri specie proferri possunt, altera Freuden-

---

Pseudoplutarcho isto falsario — ille sumpserit, non adsequor. — Idem valet de C. Müllero F. H. G. II p. 495.

34) Quod Pseudoiustinus cum Iudaea, Berosi filia, Erythraeam confudit atque Cumanam, nos ut in Christiano non morabitur.

35) p. 15 Whiston. London 1737: ‚Mihi vero libitum est narrationis meae initium ordiri a dilecta mea ceterisque veraciore Sibylla Berosiana, quae hoc dicit: ‚Ante turrim et priusquam generis humani sermo multiplex factus est et varius, post Xisuthri autem in Armeniam navigationem Zerovanus, Titan, Iapetosthes [ex ‚Ἰαπετός τε' ortum notante Gutschmidio] principatum terrae tenuere. etc.

36) Multo improbabilius Ewaldus l. c. p. 84, quod Iudaeorum oraculorum conditor ex Beroso hauserit, Berosianam illam esse vocatam censet.

thalii, mea altera. Persagaciter ille vir doctus sibi fingit Berosum in Chaldaeorum historia saepius ad Sibyllae dicta provocasse; illam a serioris aevi hominibus ideo audisse *τὴν τοῦ Βηρωσσοῦ*; inde errore Berosi evasisse filiam. Ego ad exemplorum similitudinem potius hanc quoque rem exigendam esse censeo. Quadrat enim quod traditur Pythagoras [520 c.] in Zoroastri [c. 1300] disciplinam se contulisse. Nam cum Pythagoras apud magos suam artem didicisse ferretur, melius cuidam visum est, si philosophorum mysticorum princeps a principe magorum suam sapientiam adeptus esset. Ita si quis temporum rationis expers Berosum Chaldaeum cum semichaldaea Sibylla Iudaeorum necessitudine coniunxit, nihil est mirum, siquidem in omnium ore ob divinas praedictiones Berosus non aliter quam Sibylla Judaea 37) vigebat. Haec ratio praestare mihi videtur quam Freudenthalii, cum non casu, sed certo consilio Berosi filiam fictam esse sumam.

Restat ut de nomine Sibyllae quod apud Pausaniam est *Σάββη* paucis absolvam. Quo nomine ceteroquin non femina sed terra — sive Arabia felix seu Aethiopia — adficitur; atque adeo Sabae — sive Aethiopiae sive Arabiae — regina Sibylla a quibusdam vocitatur, nota illa quidem ut Salomonis hospes sapientissima 38). Iam vero nomen Sibyllae Sabbae, quod est apud alios Sambetha vel Sambatha, et Sibylla Sabaea adeo inter se sunt similes, ut alteram ex altera errore quodam originem duxisse prona sit suspicio 39). Quod

37) Plin. N. H. VII, 137: *Variarum artium scientiae innumerabiles enituere . . . astrologia Berosus, cui ob divinas praedictiones Athenienses publicam in gymnasio statuam inaurata lingua statuerunt.* [cf. etiam Vitruv. IX, 4 saepius].

38) De Aethiopica cf. Glycam l. c. [adn. 30]. — De Arabica Georgius Cedrenus I p. 166 Bekker: καὶ βασίλισσα Σαβᾶ, ἥτις ἐλέγετο Σίβυλλα παρ' Ἕλλησιν . . . ἦν γὰρ καὶ αὐτὴ ἡ Σίβυλλα πάνυ ἐπ' ἀγχινοίᾳ καὶ σοφίᾳ καὶ πολυπειρίᾳ περιβόητος.

39) Ewald p. 84 n. [cf. adn. 4] 'Sabbam' Sibyllam dicit significare Sibyllam 'Sabbati'.

qua ratione acciderit dubitanti comiter Wellhausenus mihi haec suppeditavit: „Nominum formae Sambethe et Sabbe aequi valent, ita quidem ut haec ex illa videatur esse decurtata quasi sit שבתא status quem vocant emphaticus, שבא absolutus; mb poni pro bb ex Ambacum et ambubaia notum est.“ Hanc igitur sive Sambethen seu Sabben Thyatirae, Apameae omnino in illis Asiae tractibus scimus esse cultam, itemque Noam pro Noae filia Sibyllam Iudaeam habitam esse oraculorum Sibyllinorum liber tertius anno 124 scriptus ostendit: hinc Sabben evasisse Sibyllam Noae filiam. Denique ex nomine Sabbe serioris aevi scriptores christianos linguae illius ignaros elicuisse Sabaeam reginam Salomonis aequalem[40].“ — Et haec de Iudaea quidem hactenus: exin quid ad auctoris Pausaniae indolem ac studia intellegenda redundet, exponam.

a. Primum autem per se patet nec Iudaeum vel alius nationis barbarum nec Christianum nec Romanum sed Graecum paganum esse quaerendum eum quidem, qui Romanos Graecosque cum barbaris quasi conectere studuerit.

b. Novit is — ex scripto procul dubio — Sibyllam Aegyptiam, Babyloniam, Iudaeam, et hanc quidem, id quod summi est momenti, ex oraculorum Sibyllinorum libro III: quae qui inspexerit, paganum equidem praeter unum invenio neminem.

c. Cum idem innotuerit Christianis [Pseudoiustino et — nescio per quem[41]) — Mosi Chorenensi] vulgo non potest ignotus fuisse.

---

40) cf. Ewald, ‚Geschichte des Volkes Israel' III, 390 [ed. tertiae].

41) Gutschmidius [Berichte über die verh. d. sächs. ges. d. wiss. 1876 p. 15] ipsum Mosem ex pleniore oraculorum sylloga hausisse oraculum, quod adscripsi contendit et ‚Berosianam' istam in prooemio nunc deperdito se ipsam vocasse. Quorum neutrum demonstravit, hoc vel ideo falso posuit, quod satis superque in exitu libri III de origine sua et patria Iudaea disputet. An praeter Eusebium et Iosephum alios scriptores graecos adhibuerit Moses, ne Gutschmidius quidem pro explorato habet p. 42 sq.

d. Etiam premendum est, quod idem sive neglegentia seu certa ductus ratione Berosum Sibyllae Iudaeae parentem finxit. —

Iam in quem haec quattuor cadant, intra primum a. Chr. n. saeculum et primum post circumspiciamus. Atque inde, quod unum tantummodo equidem novi Graecum paganum, qui illo tempore oraculis Iudaeae operam navaverit, proficiscor; qui si cetera tria in se coniungat indicia, repertum eum esse quem quaerimus arbitror. — Atqui L. Cornelius Luci libertus Alexander cognomento Polyhistor Milesius qui Iudaeorum Babyloniorumque et Aegyptiorum historiam secundum Berosum enarrans testimonii loco Sibyllae illius versus adposuit[42]), nihil intentius curavit, quam ut totius orbis terrarum historiam ad communes rationes referendam esse ostenderet[43]). Adde quod Alexandri auctoritas, ut gratissima erat patribus ecclesiasticis fere omnibus, ita etiam apud Mosem Chorenensem[44]) advocatur, quodque similia Berosi paternitati commenta excogitasse arguitur, quorum duo, ut iam ultimum scrupulum evellam, breviter commemorabo. Quid enim? si Iudaeorum leges non ad Mosem[45]) quem sciebat praedicari [cf. Pseudoiustin. Coh. ad. Gr. 10 A], sed ad feminam ab ipso ementitam Moso in libro „περὶ Ῥώμης" revocavit? Scripsit idem Pythagoram a Zoroastro philosophia et astrologia esse imbutum [Freudenthal. p. 23]: vides scriptorem, a quo Berosus Sibyllae

---

42) Euseb. I p. 23 Schoene [Müller F. H. G. II, 502 sq.] Alexandri de turris aedificio narratio adfertur, quam ex or. Sib. III, 97 sqq. fluxisse Freudenthalius [hellenist. Stud. I p. 25 sq.] frustra repugnante Gelzero demonstravit. Ex Alexandro omnes ceteri pendent atque adeo Iosephus antiqu. I, 4 Freudenthal p. 27. Contra Freudenthalium litt. centralbl. 1875 sp. 1043.

43) Cf. egregium Freudenthalii libellum „hell. Stud." I.

44) Apud Mosem saepissime occurrit, etsi semel tantummodo nominatur Alexander. Cf. Gutschmid l. c. p. 26. Apud Pseudoiustin. coh. ad Graec. p. 10 A.

45) cf. Suid. s. v. Ἀλέξανδρος et s. v. Μωσώ.

parens dictus sit, aptiorem cogitari posse neminem [46]). Agedum Iudaeam Pausaniae Alexandro vindicemus; unde totum Sibyllarum indicem Pausanianum eidem deberi necessario consequitur.

2. Cum Alexander Polyhistor innumeros libros conscripserit, exoptatum vel potius necessarium est eum, in quo de vatibus illis disputaverit, librum indicare. Rei difficultas adaugetur, si quidem titulus qui quadret omnino nullus adfertur. Nihilo tamen secius hoc ita, ut plane perspicuum evadat, me spero expediturum esse. —

A Stephano Byz. s. v. *Παρνασσός* male ab aliis intellecto incipio. *Π. ὄρος Δελφῶν . . . ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Λαρνασσὸς διὰ τὸ τὴν Δευκαλίωνος λάρνακα αὐτόθι προσενεχθῆναι· ἔνιοι δέ φασιν ἀπὸ Παρνασσοῦ Παρνασσὸν τοὔνομα λαβεῖν, ὃν καὶ μαντεύσασθαι Πυθοῖ πρῶτον, ὡς Ἀλέξανδρός φησιν ἐν πρώτῳ περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίου.*

Ἀλέξανδρος codd. *Ἀλεξανδρίδης* cum ceteri omnes tum Meinekius [47]), de Anaxandrida Delpho rerum Delphicarum scriptore [48]) Polemone antiquiore cogitantes: ‚parum enim credibile esse, quod Polyhistor de oraculo Delphico disputasse traderetur'. At vel eo, quod genuina nominis forma *Ἀναξανδρίδης* [49]) fuit, coniecturae probabilitas evanescit. Accedit

46) Idem video Carolum Alexandre [exc. ad Sibyll. p. 83] et Freudenthalium coniecisse. At temere Alexandre una ea de causa quod et Pseudoiustinus et Pausanias idem tradunt, de Alexandro Polyhistore auctore cogitavit. Cautius Freudenthalius 1) quia oraculis Sibyllinis usus est Polyhistor 2) rei absurditas ab eo non abhorret, probabile sibi illud videri mecum communicavit. Ne haec quidem indicia sufficere ipse confitetur.

47) Nam Alexander Lychnus, qui de tribus terrae partibus poema condidit, in censum non venit.

48) Anaxandridae certa fragmenta exstant apud Plutarchum Lys. c. 18; quaest. graec. c. 9; Schol. Eur. Alc. 1; Schol. Arist. Plut. 925; Zenobium 1, 57 [ubi titulus exstat ‚περὶ τῶν συληθέντων ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων]. Temere his in locis reponunt Ἀλεξανδρίδης. — C. Müllerus F. H. G. III, 106 sq. omnia confudit. —

49) Hoc unum mihi Weniger [de Anaxandrida etc. Berlin 1865 p. 9 sqq.] probavit.

quod in Stephano Anaxandridas nusquam adparet, Alexander, etiam sine cognomine, sexcenties; et quoniam Polyhistor ille ingentem librorum numerum composuit de diversissimis et rebus et populis, cur de oraculo Delphico scribere non potuit?

Iam Alexandri Polyhistoris de oraculo Delphico opus in lucem retraximus, in quo ad vates illas perbene digredi potuit, cum praesertim communi religionis Apollineae vinculo saxum Sibyllinum Delphicum cum oraculo sit coniunctum; quare Alexandri ‚*περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίου*' libros — ad minimum duos — Pausaniae de Sibyllis disputanti praesto fuisse statuo. — Neque alia aperta desunt indicia. Cum enim non is sit Pausanias, qui librum semel exscriptum modeste seponat, in aliis quoque Delphicorum partibus Alexandrum subesse sponte nascitur suspicio. Ubi quaerendus sit, ex titulo operis conligitur, in historia scilicet et oraculi [c. 5] et urbis [c. 6] arte coniuncta. Nec me ea spes decepit. Nam prorsus eadem, quae Alexander — ex Hellanico[50]) — de Parnassi nomine protulit, Pausanias c. 6, 1 servavit: *πόλιν δὲ ἀρχαιοτάτην οἰκισθῆναί φασιν ἐνταῦθα ὑπὸ Παρνασσοῦ, Κλεοδώρας δὲ εἶναι νύμφης παῖδα αὐτόν· καί οἱ πατέρας καθάπερ γε καὶ ἄλλοις τῶν καλουμένων ἡρώων Ποσειδῶνά τε θεὸν καὶ Κλεόπομπον ἄνδρα ἐπονομάζουσιν· ἀπὸ τούτου δὲ τοῦ Παρνασσοῦ τῷ τε ὄρει τὸ ὄνομα τεθῆναι λέγουσι καὶ Παρνασσίαν ὀνομασθῆναι νάπην.* Ex ipso Hellanico haec Pausaniam prompsisse cum per se prorsus incredibile sit, sequitur, ut Alexander ei,

---

50) De Parnassi nomine duae inter Graecos ferebantur fabulae, a Stephano l. c. utraque enarrata. Alii enim originem nominis a Parnasso rege derivabant, alii pro genuina forma Larnassum habendum esse putabant διὰ τὸ τὴν Δευκαλίωνος λάρνακα αὐτόθι προσενεχθῆναι, unde ‚κατὰ φθορὰν συλλαβῆς' Parnassus venisset. Et hoc quidem Delphi ipsi sine dubio sibi persuaserant, si quidem in Deucalionis arca ad Parnassum adpulsa gloriabantur; illud Hellanicus et invenit et in libris Δευκαλιωνείας defendit cf. schol. Apoll. Rhod. II, 711. Quam ad sententiam necessario Hellanicus eo deductus est, quod Deucalionis arcam non Parnasso sed Othryi Thessalico adhaesisse ei placuerat cf. schol. Pind. Ol. IX, 64.

praesertim cum in c. 12. descriptus sit, suppeditasse ea quoque censeatur. Accedit quod nonnulla in Pausania subsecuntur, quae in Hellanico fuisse non traduntur, erant in Alexandri libro, Parnassi dico inventum: Paus. l. c. *τῶν πετομένων τε ὀρνίθων τὴν ἀπ' αὐτῶν μαντείαν γενέσθαι Παρνασσοῦ τὸ εὕρημα.* cf. Steph. s. v. *Παρνασσός. . . . ἔνιοι δέ φασιν ἀπὸ Παρνασσοῦ τοὔνομα λαβεῖν, ὃν καὶ μαντεύσασθαι Πυθοῖ πρῶτον, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν πρώτῳ ‚περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίου'.* —

Si autem initium historiae urbis [c. 6] certissimum est Alexandro Polyhistori deberi, idem de tota demonstratum est, quippe quae adeo in se cohaereat, ut ab uno auctore eam conditam esse necessario consequatur [51]). Ad eum igitur hoc Pausaniae § 3 vituperium: *οἱ μὲν δὴ γενεαλογεῖν τὰ πάντα ἐθέλοντες παῖδα εἶναι Δελφοῦ Πύθην καὶ ἀπὸ τούτου βασιλεύσαντος γενέσθαι τῇ πόλει τὸ ὄνομα ἥγηνται* revocare licet: quod qui magis mereatur, inveniri equidem censeo posse neminem et mecum censebunt, quibus Th. Mommsenus [chronol. 2 156²] Albanorum regum catalogum ab Alexandro excogitatum esse probavit. — Eandem et doctrinam et diligentiam et genealogiarum studium quam c. 6 de origine urbis, prae se fert oraculi historia c. 5. Poetarum potissimum testimonia proferuntur, Eumolpi, Boeus Delphae [52]), Pindari; § 13 quae est de Trophonio et Agamede aut ex Pindaro [Plut. cons. ad Apollon. c. 14] aut ex hymno Homerico in Apollinem Pythium

---

51) Lycoreae nomen alii a λύκων ὠρυγαῖς, alii a Lycoro rege Delphorum derivabant [cf. Paus. § 2 a 3 i. e. Alexander]. Atqui Callimachus in Aetiis [Steph. Byz. s. v.] eatenus cum altera explicatione consentit ut ἀπὸ Λυκωρέως βασιλέως nomen ei inditum esse censeat. In forma tantum nominis dissentit. Quodsi verisimile est Alexandrum ista Callimachi elegia usum esse, consulto ab eo in hac re discessit.

52) Utrum Βοιώ an Βοῖος praeferendum sit, iam Philochorus dubitavit [Ath. IX, 393 E]. Boeus [prave editur Boethus, dudum correctum] in ornithogonia, ex Antonio Liberali satis nota et Phemonoe [scil. in vaticiniis] de aquilarum nigrarum genere apud Plinium N. H. X, 3, scripsere.

[v. 116 sqq.] promanavit; cui ipse fortasse Pausanias ex olympionicarum conspectu olympionicam Diognetum Crotoniatam adiecit. Alexandrum autem scimus vel remotiores legisse et adhibuisse poetas velut saepe Panyasin [53]). Quid? quod ut in Alcmanis geographica ita in Corinnam poetriam Tanagraeam scripsit commentarios [54])? Denique § 10 nulla idonea de causa subito inter rerum Delphicarum memoriam Apteraeorum Cretensium mentio inseritur: *ἀπὸ δὲ τούτου τοῦ Πτερᾶ καὶ πόλιν Κρητικὴν προσθήκῃ γράμματος Ἀπτεραίους φασὶν ὀνομάζεσθαι.* Habes hominem gaudentem in geographia et veriloquii aucupem, eundem rerum Creticarum peritum, quae omnia quadrant in Alexandrum [55]). Capita igitur 5. 6. 12. [de Sibyllis] ad Alexandrum revocanda sunt [56]). De ceteris maximeque de iis, quae ad periegesin Delphorum spectant, sine accurata locorum ipsorum cognitione meum iudicium interponere nolo.

§ 3. De Demetrio Scepsio.

Nunc, unde devertimus, ad Sibyllas Alexandri redeamus. Videndum enim est, unde eas conlegerit Alexander, cum eam

53) Cf. Steph. Byz. s. v. Κράγος coll. s. v. Τρεμίλη et saepius.

54) cf. schol. Apoll. Rhod. I, 551 [de Minerva Itonia] Ἀρμενίδας δ' ἐν τοῖς Θηβαϊκοῖς Ἀμφικτύονος υἱὸν Ἴτωνον ἐν Θεσσαλίᾳ γεννηθῆναι, καὶ Ἀλέξανδρος ἐν τῷ α' τῶν Κορίννης ὑπομνημάτων. Scitu dignum, quod hoc loco videtur Armenidam Alexander citasse.

55) Scripsit Alexander Κρητικά. cf. Müller F. H. G. III, 231. A. Mommsenus in Delphicis p. 1 sqq. graviter errat, cum quae illis tribus capitibus narrantur, e Delphorum sententia scripta esse dictitat, quoniam Polyhistorem vidimus undique compilasse; nimirum adsentitur A. Mommsenus Wenigeri de Anaxandrida dissertationi. — Weniger ipse in errore suo etiam in programmatis duobus [,Religiöse Seite der grossen Pythien' Vratisl. 1871 et ,das Collegium der Thyiaden' Eisenach 1876] perseverat. Idem in G. Wolffii orationem ,de origine oraculi Delphici' cadit [verh. d. Augsb. philol. vers. 1863 p. 61 sqq.] — Fere hodie fit, quamquam est perversissimum, ut si cuius loci fabulas Pausanias commememorat, ibidem eas natas esse putent viri vel doctissimi, quoniam non possunt eam dimittere opinionem, Pausaniam suis auribus oculisque percepisse omnia.

56) De Alexandri περὶ Λυκωρείας libro cf. epimetrum.

scribendi consuetudinem sequeretur, ut scripta aliorum suum in usum compilaret, qua de re ad cautam pariter atque acutam Freudenthalii commentationem relego. —

Ac primam quidem Sibyllam ex Euripide [aut ex Duride aliove 'Libycorum' auctore velut Accsandro], Cumanam ex 'historia Cumana' Pseudohyperochi Cumani [57]) attulit; Iudaeam porro in oraculorum Sibyllinorum libro III. invenit de se ipsam loquentem. Una superest Herophila Troiana, de qua eo accuratius disseram, quo graviore monumentorum potissimum publicorum auctoritate confirmatur. Tantum autem abest, ut Alexander ipse Troadem Sibyllae gratia peragraverit, ut ne in eis quidem regionibus describendis ubi diutius habitaverat — velut in vicinis Mileti urbibus — geographorum testimoniis unquam abstineat [58]). Quodsi humi circa Marpessum naturam, locorum intervalla, sepulcrum Sibyllae in Sminthio exstructum haud ignorat, periegeta Troadis se uti ipse satis demonstrat.

1. Iam vero cum Alexandria Troadis saepius commemoretur, is periegeta post Alexandrum Magnum — a quo nomen urbi impositum est — vixisse censendus est. Hellanicus igitur et Damastes ab hac quaestione removendi sunt, Polemo restat Iliensis et Demetrius Scepsius. Utercunque fuit, certe Troianam Sibyllam ceteras Graecas — Delphicam Samiam Colophoniam Deliam — quamquam excepta Delia omnes in ore hominum circumferebantur, ut supra vidimus, in se unam complecti contendit, demonstravit non item. Erythraeorum Sibyllam denique e rerum veritate prorsus sustulit; quae 'Erythraea' vocaretur eam non ab urbe Erythris, quemadmodum et Erythraei et summo con-

---

57) Κυμαϊκά illa sic citat Ath. XII, 528 d 'ὥς φησιν Ὑπέροχος ἢ ὁ ποιήσας τὰ εἰς αὐτὸν ἀναφερόμενα Κυμαϊκά'. Varro — ad quem Kiesslingius Fest. s. v. Roma refert — consulto Hyperochi nomen omisit ['Cumanae historiae compositor']. Liber valde dubiae fidei mihi videtur.

58) Freudenthal. p. 21 sqq.

sensu testantur ceteri scriptores, sed ab humo circa Marpessum, Troianae patriam, [rubente] nomen accepisse sine argumentis posuit. § 4 ὑπέρυθρος δὲ πᾶσα ἡ περὶ τὴν Μαρπησσὸν γῆ καὶ δεινῶς ἐστιν αὐχμώδης etc. Periegetam vides nimia cum cupiditate et gratia Troadis famam amplexantem veritatis incuriosum. Atqui Polemo, ut homo verissimus et summae fidei, in censum non venit; Demetrius quasi digito commonstratur, quoniam neglectis quae tradita erant, ut patriae gloriae serviret, multas et nobiles fabulas suis locis in Troadem transferendo infamiam consecutus est. Velut, ut ex exemplorum prato pauca decerpam, Iovis incunabula in Ida non Cretensi, sed Troiana collocanda esse adseveravit[59]); Cabiros in Troade tantum et Phrygia coli ita contendit, ut in Samothraca mysteria omnino non agi mentiretur [Strabo p. 472][60]). Idem si forte gentes urbesve in homerico Troum catalogo commemoratae ceteris geographis ignotae erant, Troadis finibus eas includere solebat, exempli gratia Halizonas cf. Strabo XII p. 551 sq. XIII, 603. Adde quod in duabus eximiis commentationibus Hercherus et Simoentem et Rhesum Heptaporum Caresum Rhodium, fluvios Homericos, repertos a Demetrio i. e. fictos esse ostendit[61]). A tanta hominis vanitate et impudentia singulare illud de Sibylla erythraea mendacium non abhorret.

2. Eodem plane alia ratiocinatione ducimur. Cum Alexandri enim Sibylla Troiana Stephanus Byz. plane conspirat s. v. Μερμησσός [corrigo Μαρπησσός][62]) πόλις Τρωϊκή,

---

59) Schol. Apoll. Rhod. III, 134. Cf. Haupt opusc. II, 55.

60) Hinc patet, Nieseum [„Apollodors schiffskatalog als quelle Strabos" Rhein. Mus. XXXII p. 286] errasse, cum diceret „de Corybantibus ibi egisse Demetrium, ubi Dardanum mysteria ex Samothraca secum ad Idam Troadis duxisse narrasset".

61) „Die homerische ebene" [abh. d. berl. acad. d. wiss. 1875 p. 116], et „vier homerische flüsse" [comment. Momms. p. 739 sqq., praecipue p. 777 sqq.].

62) Scripturam „Μαρπησσός" et versus tuetur a Pausania adlatus et

ἀφ' ἧς ἡ ‚ἐρυθραία' Σίβυλλα· ἦν γὰρ καὶ ἡ πόλις αὐτοῖς ἐρυθρὰ τῷ χρώματι. Huius articuli auctorem eruenti cetera quae de Troade in Stephano leguntur advocanda sunt[63]). Quae omnia praeter nimis quaedam volgaria quod Mauricius Hauptius op. II, 58 sq. ad Demetrii Scepsii *Τρωικὸν διάκοσμον* rettulit, quamquam visus est recte fecisse viris doctis, fecit tamen non ita, ut omnem mihi sustulerit dubitandi materiam. Equidem ne plane assentiar, nonnullis Stephani articulis prohibeor, velut s. v. *Γέργις*, ubi non ex Demetrio, sed ex Phlegone rem nequaquam volgarem hanc exposuit: *πόλις Τροίας . . . [ὁ πολίτης Γεργίθιος, τὸ θηλυκὸν Γεργιθία]· ἀφ' οὗ Γεργιθία ἡ χρησμολόγος Σίβυλλα, ἥτις καὶ ἐτετύπωτο ἐν τῷ νομίσματι τῶν Γεργιθίων αὐτή τε καὶ Σφίγξ, ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων α'· ἐν δὲ τῷ ἱερῷ τοῦ Γεργιθίου Ἀπόλλωνος Σιβύλλης φασὶν εἶναι τάφον.* Hoc tamen certissimum est, si quid apud Stephanum nimium in Troianos studium prae se fert, subesse Demetrium; subest enim s. v. *Σκῆψις*, ubi Iovem a Rhea in Ida Troiana partum esse traditur [cf. Hauptium

---

codicum Pausaniae auctoritas duobus locis. Quod nomen urbis Steph. ipse corruptum legit, non mirum, quoniam etiam Lactantius et Anonymus ‚de Sibyllis' corruptum et invenere et scripsere. Nam qui eos non multo post exscripserunt, has corruptelas propagant: Μερμισσός, Μαρμισσός, Μαρμησσός, Μαρπυσσός etc. Haec ego suis locis tacite correxi. Addo Steph. s. v. Μυρμισσός [ubi Polemo citatur] ad eandem normam in Μαρπησσός emendandum esse. — Alexandre p. 23 quidem nummi sub Tiberio cusi auctoritate fretus — ubi exstat ΜΕΡΜΗΣΣΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ — Μερμησσόν reponit gloriaturque se verum restituisse. At iste nummus Golzio debetur. [cf. Berkel. ad. Steph. Byz. s. v.]·

63) Niese [‚de Steph. Byz. fontibus' I p. 30] Philoni Byblio, quae in Stephano de claris hominibus dicuntur, iure vindicat. Recte id quoque monet excipiendos esse eos, qui in fabulis versantur, quibus Sibyllae accensendae sint. — Nihilo tamen secius ex Philone fluxisse Sibyllae s. v. Γέργις et s. v. Μερμησσός mentionem, ea de causa credit, quod Suid. s. v. eadem redeat Sibylla Hellespontica; in Suida enim Philoniana inesse sat multa. At iste Suidae articulus non ex Hesychio — per quem Philoniana eo pervenerunt — sed ex Anonymo περὶ Σιβυλλῶν sumptus est. Deinde Hellespontica non est eadem erythraea. Denique illa non Demetrio Scepsio, sed Heraclidi Pontico debetur.

l. c.]. Quae cum ita sint, meo iure[64]) articulum s. v. *Μερμησσός* Demetrio vindico. Si autem Demetrius istam de *ἐρυθραίᾳ* ab *ἐρυθρᾷ Μαρπησσῷ* derivanda fabellam defendit, mihi quidem ex iis, quae supra de eius vanitate disputavi, dubitare, quin eam ipse ementitus sit, iniquum videtur. — Demetrium igitur cum Sminthium — ubi S. sepulta erat — vel Marpessum patriam Sibyllae in *Τρωϊκῷ διακόσμῳ* commemoraret, de ea exposuisse, quae in Pausania Alexander prodidit, censebimus. —

Vide quantum ad alios quoque scriptores rectius, quam factum adhuc est, intellegendos lucrati simus.

1. Primus sit Dionysius Halicarnasensis ant. rom. I, 55. Is postquam scripsit Aeneam oraculum Dodonaeum consuluisse, quo in loco fugam finiret, addidit: *ὡς δὲ ἕτεροι γράφουσιν ἐν Ἐρυθραῖς σχεδὸν* [sic Coislin., ceteri *σχεδίῳ* vel *σχεσίῳ*] *τῆς Ἴδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρία νύμφη* . . . Cum Erythrae ad Idam non positae sint, Kiesslingius de scripturae veritate dubitare fere debuit. Evanescit scrupulus, modo leviter Dionysium errasse mihi concedatur. Si enim in auctore suo tale quid legit: ‚*Σίβυλλαν τὴν ἐρυθραίαν οἰκοῦσαν σχεδὸν τῆς Ἴδης*' verba *τὴν ἐρυθραίαν* non recte ita intellexit, ut ad *ἐρυθρὰν Μαρπησσόν* referret, sed de urbe Erythris prope ad Idam sitis cogitavit. Nihil igitur in scriptura tradita sollicitandum est, quoniam Demetrii opinionem sequitur. —

2. Ad Tibullum II, 5, 67 sqq. transeo:

‚*Quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit*
Herophile, Phyto, Graiaque quid monuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit sicco pertuleritque sinu . . .
Haec fuerunt olim . . . .'

Tibullus quod Amaltheam [i. e. Sibyllam Cumanam cf. Varronis indicem p. 32], Phyto [i. e. Samiam ib.], Tiburtinam

64) Per quem hoc Demetrii fragmentum in Stephanum pervenerit, nondum exploratum est.

novit, non mirum. Scitu tamen ad Tibulli studia perquam est dignum, quod obscuram istam Demetrii Herophilen e tenebris protraxit [65]. —

3. Agmen claudat Martianus Capella p. 159: '*alii quoque huius generis in divinandi usum et praescientiam procreati ut . . . Sibylla vel Erythraea quaeque Cumaea est vel Phrygia, quas non decem, ut asserunt* [scil. Varro], *sed duas fuisse non nescis, i. e. Herophilam Troianam Marmensi filiam et Symmachiam Hippotensis filiam.*' Demetrii comparet Herophile; Marmensum corrigo in Marpessum; patrem enim pro patria falso Martianus intellexit, cum — nescio ubi — tale aliquid scriptum inveniret: 'Herophile Troiana Marpesso oriunda.' —

§ 4. De Apollodoro Erythraeo.

A Pausania ut ne nunc quidem discedam, ea efficiunt, quae Demetrius Scepsius contra Erythraeos cum ira et studio effundit. Erythraeos inculpat non solum Herophilen Troianam sibi vindicasse, verum etiam eius ipsum versum, quo patriam suam — Marpessum scilicet ἐρυθράν — significasset, pro interpolato damnasse: § 7 *Ἐρυθραῖοι γὰρ — ἀμφισβητοῦσι γὰρ τῆς Ἡροφίλης προθυμότατα Ἑλλήνων — Κώρυκόν τε καλούμενον ὄρος καὶ ἐν τῷ ὄρει σπήλαιον ἀναφαίνουσι, τεχθῆναι τὴν Ἡροφίλην ἐν αὐτῷ λέγοντες, Θεοδώρου δὲ ἐπιχωρίου ποιμένος καὶ νύμφης παῖδα εἶναι· Ἰδαίαν δὲ ἐπίκλησιν γενέσθαι τῇ νύμφῃ, κατ' ἄλλο μὲν οὐδέν, τῶν δὲ χωρίων τὰ δασέα ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων 'ἴδας' τότε ὀνομάζεσθαι· τὸ δὲ ἔπος τὸ ἐς τὴν Μαρπησσὸν καὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἀϊδωνέα, τοῦτο οἱ Ἐρυθραῖοι τὸ ἔπος ἀφαιροῦσιν ἀπὸ τῶν χρησμῶν·* Quae Erythraeos commisisse Demetrius queritur, vix per ora ei tradita esse vi-

---

65) Quod de Varrone Tibulli, de Heraclide Pontico Dionysii, de poetis cyclicis Heraclidis auctoribus hallucinatur Alexandre p. 23 sqq., sciens praetereo.

dentur, sed libro quodam Erythraeo consignata, praesertim cum de singulis locis vel locorum fabulis ad scriptores *ἐπιχωρίους* libenter provocet vel pugnet contra eos; veluti Histiaea Alexandrina [Strabo p. 599] usus est et Daë Colonensi [ib. 612]. Tale Erythraeum scriptum re vera exstitisse Hermippus [Berytius opinor] innuit apud Suid. s. v. *Σίβυλλα Ἐρυθραία· Ἀπόλλωνος καὶ Λαμίας· κατὰ δέ τινας Ἀριστοκράτους καὶ Ἰδαίας, ὡς δ' ἄλλοι Κριναγόρου, ὡς δὲ Ἕρμιππος Θεοδώρου, Ἐρυθραία παρὰ τὸ τεχθῆναι ἐν χωρίῳ τῶν Ἐρυθρῶν, ὃ προσαγορεύετο ‚βάτοι'* [= *ἴδαι* virgulta] [66]). Atqui Erythraeum novimus Apollodorum ex Varronis indice et ex Lactantio, qui et scripsit de Sibyllis — in ‚*Ἐρυθραϊκοῖς*' sine dubio [67]) — et de Erythraea ut de populari sua valde gloriabatur [68]). Adversarium igitur Demetrii tenemus Apollodorum Erythraeum. De quo homine plura possum docere.

Suidas l. c. sic pergit: *γέγονε δὲ* [*Σ. Ἐρυθραία*] *τοῖς χρόνοις μετὰ υπγ' ἔτη τῆς Τρωϊκῆς ἁλώσεως* [a. 700]. Hoc ad Erastosthenis ‚chrono-graphias' referendum. Nam cum 483 annos post excidium Troiae Suidae auctor Sibyllam dixit fuisse, illud sine dubio in annum 1183 cum Eratosthene [non in annum 1184 cum Apollodoro] incidisse defendit. Videtur igitur Erathosthenis assecla nescio quis delitescere. Atqui in chronographiis de S. Samia Eratosthenes scripsit [cf. indicem Varronianum p. 33]; ibidem de celeberrimae Sibyllae Ery-

---

66) Quae scripsi ex coniectura scripsi. Codd.: κατὰ δέ τινας Ἀριστοκράτους καὶ Ὑδάλης, ὡς δ' ἄλλοι Κριναγόρου, ὡς δ' Ἕρμιππος Θεοδώρου. Ὑδάλης non graecum. Ex Pausania emendo Ἰδαίας. — Nonnulla Suidas repetivit s. v. Ἡροφίλη.

67) Hoc concludo inde, quod de Sibylla Cumana Hyperochus Cumanus ‚ἐν Κυμαϊκοῖς' egit; de Samia Eratosthenes ἐν ‚Σαμιακοῖς' scriptum invenit. ‚Ἐρυθραϊκά' etiam Hippias scripsit Erythraeus [Ath. VI, 258c) duobus saltem libris ceteroquin ignotus.

68) cf. Varro l. c. (Varro ait) ‚*quintam Erythraeam quam Apollodorus Erythraeus adfirmat suam fuisse civem, eamque Grais Ilium petentibus vaticinatam et perituram esse Troiam et Homerum mendacia scripturum.*'

thraeae tempore exposuisse eum per se probabile est. Id si fecit — et re vera fecit, cf. infra — Eratosthenes annales Erythraeorum, quemadmodum de Sibylla Samia Samiorum, secutus videtur esse. Tunc vero Eratosthenem ex Apollodoro Erythraeo[69]) Sibyllam Erythraeam saeculo octavo attribuisse est veri simile. Plura et certiora hac de re in capite quinto disputabo.

Restat, ut in Erythraeorum et Troianorum contentione paulisper immoremur. Ac primum quidem dicendum est de versibus iis, quibus patriam Marpessum erythraeam Sibyllam indicasse Demetrius adfirmat § 3:

‚εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε
νύμφης ἀθανάτης, πατρὸς δ' ἐκ σιτοφάγοιο,
μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δ' ἐμοί ἐστιν ἐρυθρή
Μαρπησσός, μητρὸς ἱερή, ποταμὸς δ' Ἀιδωνεύς.'

Sic Demetrius. Erythraei omisso versu ultimo ita:

‚εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε
νύμφης ἀθανάτης, πατρὸς δ' ἐκ σιτοφάγοιο
μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δ' ἐμοί ἐστιν Ἐρυθρή.'

At si supra demonstravi Demetrium ipsum illud de Sibylla Troiana ab *‚ἐρυθρᾷ Μαρπησσῷ ἐρυθραία'* appellata ementitum esse, necessario consequitur etiam versum eum, quo illud inest mendacium, Demetrio deberi, praesertim cum ab eo solo citetur. Hoc autem quaerendum est, num Erythraeorum versus recto talo stent. *Ἰδογενής* Erythraei non a monte Ida, sed ab *‚ἴδαι'* [sic Pausanias. Suidas *βάτοι*, quod ad idem fere recidit], quae essent ‚opaca locorum', derivabant. Quam sen-

---

69) Quae praeterea addit Suidas: τινὲς δὲ αὐτὴν Σικελήν, ἄλλοι Σαρδιανήν, ἄλλοι Γεργιθίαν, ἄλλοι δὲ Ῥοδίαν, ἄλλοι δὲ Λίβυσσαν, ἄλλοι Λευκανήν, ἄλλοι δὲ Σαμίαν ἐδόξασαν, non modo non cogimur eidem Apollodoro adsignare, sed fere vetamur, quoniam complures Sibyllas Apollodoro probatas fuisse [Graecas scilicet] ex Lactantio compertum est. Suidae autem auctor primarius unam tantummodo agnovisse videtur Graecam.

tentiam quidni esse veram putemus[70])? Deinde *'Ερυθρή*[71]) pro *'Ερυθραί* cur non potuit dici? Vel potius cani, siquidem *Θήβη*, *'Αθήνη* [η, 80], *Μυκήνη* [φ 108][72]) a poëtis antiquas res commemorantibus usurpatur atque adeo — *Θήβη* saltem — in epigrammatis, quae sunt in lapidibus, saepissime occurit. Ipsa autem, de qua agitur, urbs singulari numero saepius scripta est, velut apud Velleium I 4, 3[73]), Servium in Aen., 36[74]), Martianum Capellam, chronicon Paschale I, 201 sq. Dind.[75]); in anecdoto Parisino; in orac. Sib. libro III, 812 suppari fere Demetrio[76]), ubi S. Iudaea ad Erythraeam respicit. Et ne hanc nominis formam credas non ipsis Erythraeis in usu fuisse, teste Strabone p. 644 portus prope ad urbem situs ‚*'Ερυθρᾶς λιμήν*' vocabatur[77]). Omni igitur culpa qua a Demetrio obruuntur Erythraei sunt liberandi. —

---

70) Βάτος ἰδαία apud Dioscoridem de materia medica IV c. 38 [medici graeci ed. Kühn vol. XXV p. 534]: β. ἰ. ἐκλήθη μὲν διὰ τὸ πολλὴν ἐν τῇ Ἴδῃ γεννᾶσθαι, ἀκάνθας μικρὰς ἔχουσα· εὑρίσκεται καὶ χωρὶς ἀκάνθης. Hesychius s. v. Ἴδη . . . ἢ ὄρος Τροίας ἢ ὕλη · δηλοῖ δὲ καὶ τὸν ὑψηλὸν τόπον [ex Didymi sententia cf. schol. Δ. 475]. Ἴωνες δὲ δρυμῶν ὄρος.

71) 'Ερυθραὶ non ab ‚ἐρυθρός' ab Erythraeis ipsis derivabatur sed ab heroe Ἔρυθρος [cf. Diodor. V, 78; Paus. VII, 3, 4 et epigramma prope Erythras in lapide inventum 904 Kaibel]. — Steph. Byz. igitur s. v. 'Ερυθραιῆθεν scribo 'Ερύθρηθεν.

72) cf. Herodian. in schol. B 498 sqq.

73) ‚*Iones . . urbes constituere Miletum . . . Eryth r a m*' etc.

74) *Ducitur tamen Varro, ut Erythraeam credat scripsisse, quia . . . apud E r y t h r a m insulam ipsa inventa sunt carmina.*

75) Σίβυλλα ἡ προγεγραμμένη ἦν ἀπὸ πολίχνης 'Ερυθρᾶς [codd. 'Ερυθρίας] καλουμένης ἀντικρὺ Χίου, ἡ καὶ ἐποποιὸς οὖσα, ἧς καὶ στήλη ἐν τῇ αὐτῇ 'Ερυθρᾷ ἄχρι τοῦ νῦν κατὰ τὴν στερεὰν ἀντικρὺ Χίου.

76) Καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἕλλαδα πατρίδος ἄλλης
ἐξ 'Ερυθρῆς γεγονυῖαν ἀναιδέα . . .

77) Hac usus observatione emendationem Ampelii [liber memor. VIII, 16] ab aliis incohatam consummabo: ‚*Argyro (sic!) est fanum Veneris super mare: ibi est lucerna super candelabrum posita lucens ad mare sub divo, quam neque ventus exstinguit nec pluvia aspargit, sed et Herculis aedes antiqua; ibi e columna pendet cavea ferrea rotunda, in qua conclusa Sibylla dicitur. Ibi iacent ossa balaenae quasi lapides quadrati*'. v. Rohden ‚de

Desinat igitur tandem aliquando Pausaniae de S. Troianae gloria testimonium extolli. Quam etsi largirer re vera fuisse, nec fuisset vetusta iudice Heraclide Pontico, et ante Demetrium Scepsium propemodum ignota. — Corrigantur ex hac commentatione cum ceteri omnes qui de Sibyllis scriptitarunt, tum Marquardtus [‚röm. staatswes. III² p. 336 sqq.] totus ille pendens a Clauseni confusaneae doctrinae promptuario, quod inscripsit ‚Aeneas und die Penaten'. —

Dixi quae de Pausaniae indice Sibyllarum mihi proposueram. Hinc — et ex c. 5 et 6 — sponte intellegitur ita in exscribendo Pausaniam se gessisse, ut de rebus ipsis vix quicquam immutaret vel de suo adderet, testium vero nominibus, quae quin pro consuetudine sua satis nota Alexander attulerit, ambigere non licet, consulto obliteratis callide et impudenter suam auctoritatem supponeret. Quae cum ita sint, laetor eam de Pausania sententiam quam Wilamowitzius, cum Graeciam peragraret, quotidiano usu assecutus et publice et in scholis satis defendit, me inter domesticos parietes aliis argumentis communivisse. Quae sententia nequaquam ab iis abhorret, quae de eiusmodi inde a primo a. Chr. n. saeculo scriptoribus dudum fere creduntur, velut de ipso Alexandro Milesio, Diodoro Siculo, Nicolao Damasceno, Iuba Mauretano. Inter eos et Pausaniam unum hoc interest, quod illi plerumque, unde prompserint, libere fatentur, Pausanias nihil habet

---

mundi miraculis' Bonn 1875 p. 26 de emendatione fere desperat. Melius res cessit Rohdeo [Rhein. Mus. 1877 p. 638 sqq.], quocum eatenus consentio, quod reiectis ceteris coniecturis omnibus de Erythris cogitandum esse censeo, quoniam ibi et monumenta Sibyllina et Herculis aedes antiquissima fuit [Paus. VII, 5, 5; Plin. N. H. XI, 111] mirabilibus referta. Accedit quod Herculis imago incisa est nummo Erythraeo, nunc Berolinensi [cf. Friedlaender u. Sallet ‚berl. münzkab.' No. 150]. Duas autem Rohde proponit coniecturas, quarum alteram ‚Argino' [fuit 'Αργεννόν, ἄκρον τῆς 'Ερυθραίας Strabo l. c.] missam facio, cum, quid Argino fuerit cum Sibylla, non videam. Altera ‚Erythris' ad veritatem accedit, dummodo singularis scribatur ‚argyro = ‚erythre' [i. e. Erythrae]. De Ampelii fonte infra disseram. —

antiquius, quam ut inscitiam suam occultet ‚speciosus pelle decora'. Quamquam secundo p. Chr. n. saeculo similes prostant homunciones, veluti Gellius, Apuleius, alii. Qui vero in inveterata ista de Pausania superstitione perseverant ex quacunque difficultate vaniloquentia quadam se expedientes, ii rationem litterarum graecarum — atque etiam latinarum — qualis fuerit Hadrianea potissimum aetate et postea, ignorant.

III. De Sibyllarum indice Varroniano.

§ 1. De Varrone.

Alteram adgredior quaestionem, quae in Sibyllarum indice Varroniano versatur. Differet autem a priore haec disputatiuncula, quod catalogum illum non modo ad fontes referam primarios sed etiam per rivulos, quibuscunque ad nos penetravit, cum magno aliarum rerum emolumento comitabor. Lactantius instit. I, 6 sqq. haec scripsit: ‚*M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem vixit, in libris rerum divinarum quos ad Caesarem pontificem maximum* [*a.* 47] *scripsit, cum de XV viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae, sed adpellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminae vates ‚Sibyllae' sunt a veteribus nuncupatae, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis deorum enuntiandis. Σιούς enim deos non θεούς et consilium non βουλήν sed βυλήν appellant Aeolico genere sermonis. Ita Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην* [78]).

---

78) Idem Diodor. IV, 66 [τὸ γὰρ ἐνθεάζειν κατὰ γλῶτταν ὑπάρχειν σιβυλλαίνειν]. Contra Alexander Polyhistor ex Libyca lingua nomen repetivit. Mihi ex Asianorum barbarorum sermone videtur venisse cf. caput ultimum. Eadem aetate qua Cornelius Alexander Sullae libertus scripsit, Corn. Epicadus, idem Sullae libertus, ‚Sullae' ipsius cognomen ex ‚Sibylla' ortum esse defendit. Cf. Charis. instit. gramm. I p. 110, 3 sq. Keil: ‚*Sibyllam Epicadus de cognominibus ait appellatum qui ex Sibyllinis libris primo sacrum fecit, deinde Syllam; qui quod flavo et compto capillo*

Ceterum Sibyllas decem numero fuisse easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitarunt.

Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res Alexandri Magni scripsit.

Secundam Libycam, cuius meminit Euripides in Lamiae prologo.

Tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de divinatione composuit.

Quartam Cimmeriam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat.

Quintam Erythraeam, quam Apollodorus Erythraeus adfirmat suam fuisse civem; eamque [scil. ait Varro] *Grais Ilium petentibus vaticinatam, et perituram esse Troiam et Homerum mendacia scripturum.*

*Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum**).

Septimam Cumanam, nomine Amaltheam, quae ab aliis Demo[79]) *vel Herophile nominatur* [sequitur Sibyllae cum Tarquinio colloquium].

Octavam Hellesponticam in agro Troiano natam vico Marpesso circa oppidum Gergithum[80]), *quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri fuisse temporibus.*

---

fuit, similes Syllae sunt appellati. Inde effeminati hodieque in ludo Syllae dicuntur, quos vulgo imprudenter populus appellat'. Haec adauget Macrobius Charisii auctore usus, Saturn. I, 17, 27: ‚*Sed invenio in litteris, hos ludos victoriae non valetudinis causa, ut quidam annalium scriptores memorant, institutos. Bello enim Punico hi ludi ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea Sibylla cognominatus est, et postea corrupto nomine primus coepit Sylla vocitari.'* cf. Livium XXV, 12 in multis congruentem.

*) Erythraeam et Samiam Varronianas habet Augustin. de civ. dei XXIII sq.

79) ‚Demophile' codd. correxi ex Pausania X, 12, 8: ‚τὴν δ' ἐπὶ ταύτῃ χρησμοὺς κατὰ ταὐτὰ εἰποῦσαν ἐκ Κύμης τῆς ἐν 'Οπικοῖς εἶναι καλεῖσθαι δὲ Δημώ συνέγραψεν 'Υπέροχος ἀνὴρ Κυμαῖος'. Nata est corruptela ex sequenti ‚Herophile'.

80) Gergitium codd. correxi. Vrbs [secundum Herodianum, Steph. Byz. s. v. cf. Lenz II, 878] scribitur Γέργις et Γέργιθος [Strabo p. 589];

Nonam Phrygiam, quae vaticinata sit Ancyrae.

Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quae Tibure colatur ut dea iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur, tenens in manu librum, cuius sortes senatus in Capitolium transtulerit.'

Monendum est Varronis verba paullulum a Lactantio esse decurtata. Paucis fortasse augeri poterunt, postquam alterum Varronis compilatorem eruerimus. Vnum nunc adiungo: Clemens Alex. strom. p. 139 S: *ἐῶ δὲ τὴν 'Ιταλήν ... ἣ τὸ ἐν Ῥώμῃ Κάρμαλον ᾤκησεν, ἧς υἱὸς Εὔανδρος ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ καλούμενον Λουπερκάλιον* [cod. *Λουπέρκιον*] *κτίσας*. Cum compareat Cimmeria Varronis, ea, quae de Cimmeria praedicantur Varroni, nescio quo intermedio [ipsum enim Varronem, quamquam semel praeterea Protrept. p. 13 S. 'antiquitates rerum divinarum' citavit, Clemens non legit], deberi probabiliter statuitur. — Catalogus ille num ab ipso Varrone compositus sit, dudum dubitavi. Deceptus enim similitudine quadam, quae inter eum et indices homonymorum Laertianos intercedit, eum ad Demetrii Magnetis *περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων* opus eo cupidius revocabam, quoniam fere omnes Sibyllae oracula reliquisse a veteribus credebantur. Sed postquam catalogos illos non a Demetrio compositos esse mihi persuasi, abiecta hac opinione denuo in rem inquisivi. Iamque certus sum Varronem ipsum, quemadmodum dixit Lactantius, indicem Sibyllarum confecisse, quia decimam [Tiburtinam] et quartam [Cimmeriam], Sibyllas proprie Romanas, simul cum Naevii et Pisonis testimoniis ab homine Graeco ante Varronem in hunc ordinem receptas esse mihi incredibile videtur. Cui sententiae accrescit probabilitas, quod nomen 'Demus' manifesto ex Pseudohyperocho Cumano provenit; nam

---

vicus Γεργίθιον. Heraclidis tempore locorum uterque exstabat. Urbs ab Attalo I [241—197] diruta [Strabo p. 616]: unum igitur reliquum erat Gergithium. Hinc Livius 28, 29 emendandus ['*Iliensibus Rhoeteum et Gergithium* (codd. Gergithum) *addiderunt Romani*' a. 188].

praeter Alexandrum Polyhistorem l. c. et Athenaeum [XII, 518 d] solus, quatenus sciri potest, Varro [Fest. s. v. Roma] illius *Κυμαϊκοῖς* usus est. Praeterea auctores qui in Varronis indice adparent, a Varrone citantur, velut — ne Heraclidem Ponticum et Eratosthenem ut notissimos proferam — in opere de lingua latina condito Chrysippus quater. Timaei historias, quas de S. Cumana consuluit [cf. infra], saepius ad res Italicas testandas in antiquitatibus rerum divinarum excitavit[81]). Apollodori denique Erythraei testimonium ex Eratosthene eum sumpsisse ex iis quae p. 60 dicam probabile videtur. — Causam cur Sibyllas quotquot fuisse viderentur componeret, ipse non reticuit. Etenim post exustum Marsico bello Capitolium quaesitis Samo Ilio Erythris per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllae [Tac. ann. VI, 12] cum, una an plures fuerint, ad vera a falsis discernenda scitu opus esset, haec quaestio cum animos agitaret contrarium in modum diiudicata videtur esse[82]). — Porro ea, quae de Sibyllae Erythraeae praedictionibus ad Homerum spectantibus et de Phrygia communicavit, incertum est, unde sumpta sint. Libycam Euripideam ex Duride Samio [cf. p. 7] sumpsisse Wilamowitzio videtur. Plana est res etiam de Cumanae nomine ‚Herophila'. Is enim, qui Herophilam vocavit ‚Cumanam', satis declaravit Cumanam S. et Erythraeam pro iisdem se habere. Huc trahendus est Servius in Aen. VI, 321: ‚*Sibyllam Apollo pio amore dilexit et ei obtulit poscendi, quod vellet, arbitrium. Illa hausit arenam manibus et tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondet, id posse fieri, si Erythraeam, in qua habitabat, insulam relinqueret et eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: et illic defecta corporis viribus vitam in sola voce retinuit. Quod cum cives eius cognovissent, sive invidia sive misericordia commoti epistulam ei miserunt creta an-*

81) Velut [Gell. noct. Att. XI, 1, 1] ab „ἰταλός" Italiam nomen accepisse defendit Timaeum secutus.

82) Tac. l. c. hac de re pluribus disseruit secundum Varronem, ut videtur [cf. Dionys. ant. Rom. IV, 62].

tiquo more signatam: qua visa, quia erat de eius insula, in mortem soluta est. Vnde nonnulli hanc esse dicunt, quae Romana fata conscripsit, quod incenso Apollinis templo inde Romam allati sunt libri, unde haec fuerat.' Omnia haec ex Varronis 'antiquitatibus rerum divinarum' propagata esse Servius paullo ante v. 36 ipse dixit: '... *ducitur tamen Varro, ut Erythraeam credat scripsisse* [or. Sib.], *quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythram insulam ipsa inventa sunt carmina.'* Iam Varronis auctori scimus Cumanam non solum fuisse ab Erythraea non diversam, sed etiam — id quod sapit 'γραοσυλλέκτριαν' — de Sibylla virgine longaeva fabellas traditas. Et hoc quidem de Timaeo compertum est ex Pseudoaristot. *θαυμάσια ἀκούσματα* p. 838 a 5 B. [Müllenhoff. 'deutsche alt.' I p. 468]: *ἐν δὲ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυταί τις ὡς ἔοικε θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου, ἣν πολυχρονιωτάτην γενομένην παρθένον διαμεῖναί φασιν οὖσαν, ὑπό τινων τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν, ὑπὸ δέ τινων Μελάγκραιραν* [83]) *καλουμένην. Τοῦτον δὲ τὸν τόπον λέγεται κυριεύεσθαι ὑπὸ Λευκανῶν.* Quodsi Timaeus Lucanam [= Cumanam] S. agnovit, tangitur idem a Suida s. v. *Σ. Ἐρυθραία ...: τινὲς δὲ αὐτὴν Σικελὴν ἄλλοι Σαρδιανήν, ἄλλοι Γεργιθίαν, ἄλλοι δὲ Ῥοδίαν, ἄλλοι δὲ Λίβυσσαν, ἄλλοι Λευκανήν, ἄλλοι δὲ Σαμίαν ἐδόξασαν.* Adparet Timaeum, certa sine dubio de causa, Erythraeam et Cumanam [= Lucanam] coniunxisse. Varro igitur ut saepius ita hoc loco a Timaei auctoritate pendet. — Ceterum haec res summi momenti videtur mihi esse: Primus enim, qui Cumanam testaretur, Timaeus exstitit: ignobilis igitur non dubium quin tertio a. Chr. n. saeculo Cumana fuerit. Praeterea Timaeus ut testis oculatus horribile Sibyllae antrum descripserat deque virginitate illius erat locutus. At-

83) Cum Melancraera — Nesus filia — Cassandra a Lycophrone v. 1464 comparatur, quam Sibyllam esse dicit scholion et Arrianus in Bithyniacis iudice Wilamowitzio cf. Eust. ad B 814: 'Ἀρριανός φησιν, ὅτι Δάρδανος ἐκ Σάμου τῆς Θρᾳκίας ἐλθὼν τὰς τοῦ Τεύκρου βασιλέως θυγατέρας ἔγημε Νησὼ καὶ Βάτειαν· καὶ ἐκ μὲν τῆς Νησοῦς ἦν αὐτῷ θυγάτηρ Σίβυλλα ἡ μάντις, ἀφ' ἧς καὶ ἄλλαι γυναῖκες ὅσαι ἐγένοντο μαντικαί κτλ.'

qui de eadem Cumana non dixit tantum sed eadem quae Timaeus dixit Lycophro [‚Alexandra' v. 1276 sqq.]:

> ... Ζωστηρίου τε κλιτύν, ἔνθα παρθένου
> στυγνὸν Σιβύλλης ἐστὶν οἰκητήριον
> γρώνῳ βερέθρῳ συγκατηρεφὲς στέγης.

Adnotat scholion: καὶ παρὰ Κυμαίοις δὲ [Italiae] Ζωστηρίου Ἀπόλλωνός ἐστιν ἱερόν, ἐν ᾧ ταφῆναί φασι τὴν Σίβυλλαν Κυμαίαν οὖσαν. Quis praeter Timaeum illa Lycophroni suppeditare potuerit, nescio; de Lycone Rhegino enim Lycophronis patre vix quisquam cogitabit. Adde quod, ut per se proclive est suspicari, ita Schwegler ‚röm. gesch.' I p. 413. 200 n. 7. 253 n. 3 coniecit Timaeum in iis, quae ad historiam Romanam spectant, Lycophronis fuisse fontem. De rebus geographicis maxime Italiae et Müllenhoffius l. c. p. 466 sq. et Clausenus [Aeneas u. die Penaten II p. 580] iure idem statuerunt[84]. Res igitur certa. — Verbo moneo, etiam Melancraeram Nesus filiam apud utrumque esse nominatam [cf. adn. 83]. — Haec de catalogi Varroniani origine hactenus: iam de propagatione dicendum.

§ 2. De Anonymo.

1. Index Varronianus quamquam saepe apud scriptores

---

84) Fabellam de Sibylla moribunda Timaeanam etiam Petronius in cena Trimalchionis adhibuit c. 48: ‚*nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere, et cum illi pueri dicerent:* Σίβυλλα, τί θέλεις; *respondebat illa:* ἀποθανεῖν θέλω.' — Potest idem Timaeus apud Ampelium [cf. adn. 77] latere. Scripsit enim ille, Erythraeam Cumis esse mortuam, hic ‚Sibyllam' [i. e. ‚ossa Sibyllae'] Erythris ‚in cavea' fuisse conclusa. Iam si Timaeus Erythraeis ossa Sibyllae reddita esse narrasset, eo libentius, quod eius historias in ‚rerum mirabilium' scriptoribus saepissime deprehendit Müllenhoffius, pro auctore Ampeliano Timaeum haberem. Atqui si Timaeo teste Erythraei Sibyllae senio confectae Cumas epistulam miserunt, sive invidia seu misericordia commoti, quid illa in epistola aliud quam ‚rediret', dictum esse potuit? Inde statim fit probabile, ex Timaei opinione Erythraeos, cum vivam non possent, mortuam reduxisse et singulari quodam monumento publico condidisse, id quod Ampelius prodidit. Adde quod in oraculis ipsa cecinit Erythraea [cf. Phlego l. c.], fore ut Erythris iaceret mortua.

vel serioris vel infimae aetatis occurrit, ipsum tamen Varronem post Lactantium vix quisquam inspexit, neque Augustinus — is enim utitur Lactantio — neque Hieronymus [85]) neque Servius [86]) nec Martianus Capella [cf. p. 2]; ex Graecis nomino Aelianum [cf. p. 3] et scholia in Aristidem rhetorem [87]). Hos sufficit nominasse. Adcuratius de Anonymo oraculorum Sib. editore disseram, cuius in praefatione [ex codice Vindobonensi s. XV ab Alexandro (in ed. or. Paris. 1840 p. 1 sqq.) et Friedliebio (in calce p. IV) promulgata] ita legitur catalogus Sibyllarum Varronianus [88]): *Σ. δὲ ῥωμαΐκὴ λέξις ἑρμηνευομένη προφῆτις ἤγουν μάντις· ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν* [89]). *Σίβυλλαι τοίνυν, ὡς πολλοὶ ἔγραψαν, γεγόνασιν ἐν διαφόροις χρόνοις καὶ τόποις τὸν ἀριθμὸν δέκα·*

πρώτη οὖν ἡ Χαλδαία ἤγουν ἡ Περσίς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη, ἐκ τοῦ γένους οὖσα τοῦ μακαριωτάτου Νῶε, ἡ τὰ κατ' Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λεγομένη προειρηκέναι, ἧς μνημονεύει Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας·

δευτέρα Λίβυσσα, ἧς μνήμην ἐποιήσατο Εὐριπίδης ἐν τῷ προλόγῳ τῆς Λαμίας·

τρίτη Δελφὶς ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα, περὶ ἧς εἶπε Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ θεότητος βιβλίῳ·

τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ ἡ ἐν Κιμμερίῳ [90]) *τῆς Ἰταλίας, ἧς*

---

85) Augustin. de civ. dei XVIII, 23 *Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse non unam* etc. — Hieronymus (adv. Iovinum c. 41 [vol. II, 1 p. 367 Vallarsi]).

86) In Aen. III, 445 ‚*Sibyllae appellativum est nomen, adeo ut Varro, quot fuerint Sibyllae, scripserit.*' Notum est Servium antiquioribus scholiis usum esse.

87) Ὑπὲρ ῥητορικῆς I, 23 Frommel: δέκα Σίβυλλαι γεγόνασιν, ὥς φασιν.

88) Nomina [velut Μαρπησσῷ pro Μαρμίσῳ; Γέργιθον pro Γεργιτιόνα] ex Varrone tacite emendavi et in hoc et in ceteris indicibus.

89) Verba ὅθεν — ὠνομάσθησαν tradita post ‚δέκα' transposui.

90) μερία cod. scripsi Κιμμερίῳ [Plin. N. H. III, 5 *lacus Avernus . . . iuxta quem Cimmerium oppidum quondam*].

υἱὸς ἐγένετο Εὔανδρος ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν καλούμενον Λουπερκάλιον κτίσας·

πέμπτη ἡ Ἐρυθραία ἡ καὶ περὶ τοῦ Τρωϊκοῦ προειρηκυῖα πολέμου, περὶ ἧς Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐρυθραῖος διαβεβαιοῦται·

ἕκτη ἡ Σαμία ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτώ, περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης·

ἑβδόμη ἡ Κυμαία ἡ λεγομένη Ἀμάλθεια ἡ καὶ Ἡροφίλη, παρά τισι δὲ Ταραξάνδρα· Βιργίλιος δὲ τὴν Κυμαίαν Δηιφόβην καλεῖ Γλαύκου θυγατέρα·

ὀγδόη ἡ Ἑλλησποντία τεχθεῖσα ἐν κώμῃ Μαρπησσῷ περὶ τὴν πολίχνην Γεργίθιον, ἥτις ἐνορία ποτὲ τῆς Τρωάδος ἐτύγχανεν ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου, ὡς ἔγραψεν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός·

ἐνάτη ἡ Φρυγία· δεκάτη ἡ Τιβουρτία, ὀνόματι Ἀλβουναία.

Facile intellegitur neque ex Varrone nec ex Lactantio Anonymum pendere, quoniam et Samiae Cumanaeque nomina addidit — Phyto et Taraxandram — et Vergilii Aeneidem antestatur editam post Varronis obitum anno 19 a. Chr. n.; latinum auctorem fuisse inde conligo, quod Chrysippus *ἐν τῷ περὶ θεότητος βιβλίῳ* citatur. Cum enim liber iste Chrysippi non ‚*περὶ θεότητος*' sed ‚*περὶ μαντείας*' inscriptus esset, errori illud ‚*περὶ θεότητος*' deberi in propatulo est. Hinc profectus Wachsmuthius [‚Ansichten der stoiker über mantik' p. 13] rectissime interpretatione latina ‚de divinatione' (= *περὶ μαντικῆς*) illud ‚*περὶ θεότητος*' procreatum esse coniecit. De latino igitur Varronis compilatore, qui fuit post Vergilium, cogitandum est[91]. Atqui Varro Sibyllarum in ‚antiquitatibus rerum

91) Inde quod Anonymus Sibyllae Cumanae cum Tarquinio colloquium ex Lactantio hausit citatque Lactantium, non statim sequitur [id quod volunt Alexandre p. 423 alii] indicem quoque Lactantio deberi. Rem supra me expediisse spero. Vnum addo: Lactantium si adoptas, haud facile explicabis, quod pauciora de Cimmeria Lactantius quam Anonymus exhibet. Quae cum redeant in Clemente Alexandrino a Varrone sine dubio enarrata erant, ideoque a Fenestella referri poterant, ex quo statuo Anonymum pendere. Multo difficilius est, quod Alexandre p. 62 sibi fingit Anonymum ea ipsa ex Clemente supplevisse. — Verbo moneo, etiam Lactantium duobus usum esse, Varrone et Fenestella [cf. n. 92].

divinarum' de XV viris disputans mentionem intulerat: eadem occasione — aut in ‚annalibus' aut alibi — Fenestella [† 19 p. Chr. n.] Varronis assecla complures recensuit Sibyllas[92]). Fenestellae igitur catalogum Anonymi fontem esse arbitror. Inde patet Ewaldum [p. 137], qui infima Byzantinorum aetate Anonymum illum oraculorum Sibyllinorum collectorem fuisse opinatur, falli. Fenestellae enim opera ‚ingenti illo litterarum antiquarum naufragio' sub papa Gregorio I (590—604) perierunt. — Nuperrime Tycho Mommsenus ad quinti post Christum s. initium ‚propter sermonis materiaeque rationem' praefationem illam referendam esse [progr. Francof. a. M. 1879 p. 85 n. 6) coniecit.

Fenestella igitur exceptis iis, quae christianum sapiunt, omnia Anonymo suppeditavit, etiam definitionem Sibyllae a Varroniana diversam et Taraxandrae et Phytus nomina; quae quidem nomina etiam in Varronis indice exstitisse nihil impedit suspicari. — Qua neglegentia iste Anonymus Fenestellam exscripserit, uno exemplo inlustrabo: *πέμπτη*, inquit, *ἡ Ἐρυθραία . . . περὶ ἧς Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐρυθραῖος διαβεβαιοῦται.* Quid adfirmat? Fenestella ut scriptor diligens ex Varrone l. c. sine dubio addiderat, ‚*quam Ap. Er. adfirmat suam fuisse civem*'. Anonymus ea ipsa transiluit, in quibus rei summa posita est. — Hinc, ut dixi, eximenda sunt, quae de Sibylla Christiana ex or. Sib. sumpsit III, 8, 882 sqq.

---

92) Lactant. inst. I, 6: *Omnes igitur hae Sibyllae unum deum praedicant, maxime tamen Erythraea, quae celebrior inter ceteras et nobilior habetur, si quidem Fenestella, diligentissimus scriptor, de XV viris dicens ait ‚restituto Capitolio rettulisse ad senatum C. Curionem cos., ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllae conquisita Romam deportarent, atque missos esse Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem.'* — Complures Sibyllas Fenestellam enumerasse dicit Lactantius de ira XXII, 6: ‚*Sibyllas plurimi et maximi auctores tradiderunt, Graecorum Aristo Chius et Apollodorus Erythraeus, nostrorum Varro et Fenestella.*'

[et saepius], verba scil. ‚*ἐκ τοῦ γένους οὖσα τοῦ μακαριωτάτου Νῶε.*' Nomen Sambethae aliunde addidit.

Sambethae memoria bis praeterea prostat.

a) Scriptum enim est in titulo Thyatireno C. I. Gr. II, 3509: ‚*Φάβιος Ζώσιμος κατασκευάσας σορὸν ἔθετο ἐπὶ τόπου καθαροῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως πρὸς τῷ Σαμβαθείῳ ἐν τῷ Χαλδαίου περιβόλῳ παρὰ τὴν δημοσίαν ὁδὸν ἑαυτῷ, ἐφ' ᾧ τεθῇ, καὶ τῇ γλυκυτάτῃ αὐτοῦ γυναικὶ Αὐρηλίᾳ Ποντιανῇ . . . ἐγένετο ἐν τῇ λαμπροτάτῃ Θυατειρηνῶν πόλει ἀνθυπάτῳ Κατιλλίῳ Σεβήρῳ μηνὸς Αὐδναίου τρισκαιδεκάτῃ ὑπὸ Μηνόφιλον Ἰουλιανοῦ δημόσιον*'. — Tempus tituli Boeckhius [consentiente Waddingtone ‚fastes des provinces Asiatiques' p. 724] ex mentione Catillii Severi adsequi voluit, qui a. 117—119 p. Chr. n. Syriae erat praefectus [cf. Henzen ‚acta fratrum arvalium' p. 182]. Kiesslingius propter Aureliae mentionem titulum post Aurelios imperatores removere mavult atque de Catillio Severo fratre arvali a. 183 vel de cognomine, Alexandri Severi cognato [cf. Lamprid. Alex. 68], cogitari posse me admonuit. — ‚*Σαμβάθειον*' sacellum Sambethae significat Noae filiae, velut Cumana quoque S. prope Cumas fanum habebat. Qui verbis *ἐν τῷ τοῦ Χαλδαίου περιβόλῳ* significetur Chaldaeus, Boeckhio non cognitum erat. Ipse propter Anonymi de Chaldaea testimonium Noam statuo intellegendum esse. Thyatirae igitur Noa cum Sibylla Chaldaea eodem in peribolo s. III p. Chr. n. colebatur.

b) Qua re cognita certum de nummo quodam Berolinensi Apameae Phrygiae invento iudicium ferri potest [cf. Friedlaender und Sallet ‚das kgl. münzkab.' No. 656 tab. 9]. Illa in urbe — condita a Seleuco Nicatore [Strabo XII p. 577 sqq.] — arcam Noae adpulisse Strabonis aetas credebat, si quidem Apamea ‚*κιβωτός*' vocabatur [cf. Strabo XII, 569], ideoque Noam venerabatur. Nummus enim cusus sub Philippo imperatore [244—49] Noam exhibet cum femina quadam in arca vehentem: hanc feminam non pro uxore Noae — uti

volunt nummorum periti — sed pro Sambetha Noae filia cur habendam esse censeam, sponte nunc perspicitur[93]).

2. Ordine persecuturus qui praeter Fenestellam et Anonymum indicem Varronianum servaverint, temporum decursu devenio ad Scholiastam ad Platonis Phaedrum p. 244 B[94]): *Σίβυλλαι μὲν γεγόνασι δέκα, ὧν πρώτη ὄνομα Σαμβήθη· Χαλδαίαν δέ φασιν αὐτὴν οἱ παλαιοὶ λόγοι, οἱ δὲ μᾶλλον Ἑβραίαν· καὶ δὴ καὶ ἑνὶ τῶν παίδων τοῦ Νῶε εἰς γυναῖκα ἁρμοσθῆναι καὶ συνεισελθεῖν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἐν τῇ κιβωτῷ· ταύτην καὶ τὰ περὶ τῆς πυργοποιίας χρησμῳδῆσαί φασι καὶ ὅσα τοῖς τούτων συνέβη τολμήμασιν· χρησμῳδῆσαι δὲ πρὸ τῆς διαιρέσεως τῶν γλωσσῶν γενομένην γλώσσῃ φασὶ τὰ χρησμῳδηθέντα τῇ Ἑβραΐδι. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ τὰ κατὰ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα προειπεῖν· ἧς καὶ μνήμην Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἀναγράψας πεποίηκεν.*

δευτέρα δὲ Λίβυσσα, ἧς μνήμην ἐποιήσατο ἐν τῷ τῆς Λαμίας προλόγῳ Εὐριπίδης· ὄνομα δὲ αὐτῆς οὐ πάνυ σαφηνίζουσιν.

τρίτη Δελφίς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα, περὶ ἧς ἱστόρησε Χρύσιππος [ἐν τῷ περὶ θεότητος βιβλίῳ].

τετάρτη Ἰταλική ἡ ἐν Κιμμερίῳ [codd. *ἐρημίᾳ*] *τῆς Ἰταλίας τὴν διατριβὴν λαχοῦσα, ἧς υἱὸς ἐγένετο Εὔανδρος ὁ τὸ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ καλούμενον Λουπερκάλιον κτίσας·*

πέμπτη ἡ Ἐρυθραία, ἥτις καὶ τὰ κατὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον συνενεχθέντα προηγόρευσεν, περὶ ἧς Ἀπολλόδωρος ὁ Ἐρυθραῖος διεξέρχεται.

ἕκτη ἡ Σαμία, ἧς τὸ κύριον ὄνομα Φυτώ φασιν [περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης][95]).

---

93) Cave hanc S. confundas cum Phrygia Heraclidis Pontici.

94) Scripsi quae C. Fr. Hermannus VI p. 269 sqq. edidit ex Varrone emendata. Vncis inclusa desunt in codice Marciano [cf. Schanz ‚der Platocodex der Marcusbibliothek' p. 18]. Pleniorem recensionem iam Photius legit qui indicem ex scholiis Platonicis sumpsit.

95) In ceteris codd. falso legitur Eratosthenis testimonium ad Italicam adscriptum. Transposuit Bernhardyus Eratosth. frg. p. 86.

ἑβδόμη ἡ Κυμαία μὲν γένος ὄνομα δὲ Ἀμάλθεια, οἱ δὲ Ἡροφίλην [*Ἐρωφίλην* codd.] *φασίν. παρά τισι δὲ κλῆσιν ἠνέγκατο Ταραξάνδρα. Βιργίλιος δὲ ὁ Ῥωμαῖος ποιητὴς Δηϊφόβην αὐτὴν ὀνομάζει.*

ὀγδόη ἡ Ἑλλησποντία, ἥτις ἐν κώμῃ Μαρπησσῷ [*Μαρπυσσῷ* codd.] *τὴν γένεσιν ἔσχε περί τινα πολίχνην Γέργιθον* [*Γεργετίωνα* codd.]· *ὑπὸ τὴν ἐνορίαν δὲ αὕτη τῆς Τροίης ἐτύγχανεν·* [*ἦν δὲ ἐν καιρῷ Σόλωνος καὶ Κύρου, ὡς ἔγραψεν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός.*]

ἐνάτη ἡ Φρυγία· ἐπὶ πᾶσι δεκάτη ἡ Τιβουρτία μὲν γένος, ὄνομα δὲ Ἀλβουναία.

Vergilii memoria aut Fenestellam arguit auctorem aut Anonymum; Chaldaeae autem et Sambethae adpellatione, quae nondum in Fenestella exstabat, ad Anonymum revocamur[96]). Idem corruptelarum similitudo confirmat velut Anonymus *Ἐροφίλη, Μαρμίσῳ, Γεργιτιόνα*, scholiasta paullo corruptius *Ἐρωφίλη, Μαρμυσσῷ, Γεργετίωνα*[97]). Vno tantummodo additamento scholiasta indicem Anonymi auxit. Verba enim de Sambetha Noae nuru eiusque vaticiniis ad turris aedificium spectantibus, quae in Anonymi praefatione desunt, sumpsit ex ipsis oraculis I, 287 sqq. III, 97 sqq.

Ex quo apertum est indice scholiastae novi nihil doceri. Omnino igitur cum is tum Photius [Amphiloch. 27] totus ille quidem pendens a scholiasta abiciendi sunt.

---

96) Idem sensit Alexandre p. 423.

97) Recte monet Alexandre p. 432 ea, quae Anonymus [praef. p. IV] de ἀμετρίᾳ versuum Sibyllae disseruit, fluxisse ex Pseudoiustin. coh. ad Graec. Ex Anonymo eadem Scholiasta Platonis, hinc Photius.

Alius autem est scholiasta [cf. Schanz l. c.] qui de Erythraea ex Neoplatonico quodam haec addidit: πολλαὶ Σίβυλλαι, πᾶσαι δὲ μαντικαί· ἥδε δὲ Ἐρυθραία ἐστὶν Ἡροφίλη καλουμένη· φασὶ δ' αὐτὴν γεννηθεῖσαν εὐθὺς προσειπεῖν ἐξ ὀνόματος ἕκαστον καὶ ἔμμετρα φθέγξασθαι καὶ εἰς βραχὺν χρόνον τέλειον εἶδος ἀνθρώπου λαβεῖν. Idem Hermias [apud Astium in ed. Phaedri], Proclus comm. in Tim. IV 288, V 791 Schneider. Nicetas Choniat. III 577 Bonn.

§ 3. De anecdoti Parisini scriptore.

Proximus qui indicem Varronianum tradat commemorandus est scriptor *περὶ Σιβυλλῶν* editus a Cramero [anecdota Paris. I p. 332 sqq.]. Omnis autem de illo locus duas in partes mihi dividendus videtur, quarum altera in eruendo scriptoris nomine, in fonte investigando altera versatur. Ordine hos tractabo initium sumens a fontibus. Opus autem est indicem — ex Varrone correctum — oculis subicere:

Τὸ Σίβυλλα ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστίν, ἑρμηνευομένη προφῆτις ἤγουν μάντις, ὅθεν ἑνὶ ὀνόματι αἱ θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν Σίβυλλαι· γεγόνασι δὲ Σίβυλλαι δέκα ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις· πρώτη ἡ καὶ Χαλδαία ἡ καὶ Περσίς, ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη, ἧς τὸ κύριον ὄνομα Σαμβήθη, ἐκ τοῦ γένους τοῦ μακαριωτάτου Νῶε, ἡ περὶ τῶν κατ' Ἀλέξανδρον λεγομένη[98]) *προειρηκέναι, ἧς μνημονεύει Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας, ἡ περὶ τοῦ δεσπότου Θεοῦ μυρία προθεσπίσασα καὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας· ἀλλὰ καὶ αἱ λοιπαὶ συνᾴδουσιν αὐτῇ, πλὴν ὅτι ταύτης εἰσὶ βιβλία κδ' περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα· ὅτι δὲ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς εὑρίσκονται καὶ ἄμετροι, οὐ τῆς προφήτιδός ἐστιν ἡ αἰτία ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων οὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ* [ῥώμῃ cod.] *τῶν λεγομένων ἢ καὶ ἀπαιδεύτων γενομένων καὶ ἀπείρων γραμματικῶν· ἅμα γὰρ τῇ ἐπιπνοίᾳ ἐπέπαυτο ἐν αὐτῇ ἡ τῶν λεχθέντων μνήμη· καὶ διὰ τοῦτο εὑρίσκονται στίχοι ἀτελεῖς καὶ διάνοια σκάζουσα· εἴτε κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ τοῦτο γέγονεν, ὡς μὴ γιγνώσκοιντο ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ ἀναξίων οἱ χρησμοὶ αὐτῆς·*

δευτέρα Σίβυλλα ἡ Λίβυσσα.

τρίτη ἡ Δελφίς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα· γέγονε δὲ αὕτη πρὸ τῶν Τρωϊκῶν καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν ἐν τοῖς χρόνοις τῶν Κριτῶν, ὁπηνίκα Δηβώρα προφῆτις ἦν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις.

98) Cod. λεγομένων προειρηκυῖα; correxi ex Suida, qui anecdotum descripsit. Conici possit etiam ‚γενομένων προειρηκυῖα'.

τετάρτη Ἐρυθραία ἀπὸ πόλεως Ἐρυθρᾶς καλουμένης ἐν Ἰωνίᾳ περὶ τοῦ Τρωϊκοῦ προειρηκυῖα πολέμου·

ἕκτη ἡ Σαμία, ἧς τὸ κύριον ὄνομα Φυτώ, περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης· καὶ αὕτη ἐν τοῖς χρόνοις τῶν παρὰ Ἰουδαίοις Κριτῶν ἦν.

ἑβδόμη ἡ Κυμαία ἡ καὶ Ἀμάλθεια ἢ Ἡροφίλη· ἡ δὲ Κύμη πόλις ἐστὶν Ἰταλική, ἧς πλησίον ἄντρον ἐστὶν συνηρεφὲς καὶ γλαφυρώτατον, ἐν ᾧ διαιτωμένη ἡ Σίβυλλα αὕτη τοὺς χρησμοὺς ἐδίδου τοῖς πυνθανομένοις·

ὀγδόη ἡ Γεργιθία· πολίχνη δὲ περὶ Ἑλλήσποντον ἡ Γέργιθος.

ἐνάτη ἡ Φρυγία· δεκάτη ἡ Τιβουρτία ὀνόματι Ἀλβουναία.

Quod vox Sibyllae ex lingua Romana explicatur ad Fenestellam aut Anonymum relegamur; Sambetha *ἐκ τοῦ γένους οὖσα τοῦ μακαριωτάτου Νῶε* Fenestellam excludit, demonstrat Anonymum[99]). Nascitur tamen quaestio, quid de iis iudicandum sit, quae in Anonymo frustra quaeruntur. Quae partim ad Christianorum vel Iudaeorum pertinent historiam s. v. *Δελφὶς Σ.* et *Σαμία Σ.* eaque hausit ex chronographo aliquo; pars altera lectioni oraculorum debetur cf. Hebraeam; s. v. *Δελφίς* praeterea haec verba: *‚γέγονε δὲ αὕτη πρὸ τῶν Τρωϊκῶν καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν'* non ab Anonymo sed Sibyllarum catalogo Hesychiano Hadrianea aetate confecto — eodem, qui pervenit in Suidam — mutuatus est; quarta ex notitia rerum geographicarum provenit cf. Erythraeam.

Quid quod Cumis ipse videtur antrum Sibyllae Cumanae vidisse, si quidem adcuratius illud descripsit. Haec res, ut ad alteram quaestionem transgrediar, non temere cum secunda anecdoti particula, quae est de oraculorum Iudaeae argumento, coniungitur. Etenim, ut hoc praemittam, tria excerpta anecdotum illud complectitur, quorum primum Sibyllas continet,

---

99) Idem sequitur conlatis apud Anonymum et nostrum iis, quae uterque de ἀμετρίᾳ versuum Sibyllinorum disserunt; quae cum ad rem propositam nihil conferant, omisi.

altero dixi modo oraculorum Iudaeae summam praestringi, tertia denique de Cumanae cum Tarquinio colloquio agitur. Et tertium quidem Cramerus in adn. ex Ioanne Lydo [‚de mensibus' p. 70 ed. Bonn.] recte monuit fluxisse; cetera subtimide coniecit ex Ioannis Lydi libris nunc deperditis esse deprompta. Quod etiamsi non evinci, probabile tamen reddi ea potest ratione, quam supra ingressus sum; concedas modo, postquam duas anecdoti partes uni deberi probatum est, tertiam eidem non sine veri dissimilitudine adsignari. Prima enim et secunda parem prae se ferunt geographicorum cognitionem; illic dixi antrum Sibyllae quasi ab oculato teste describi, hic Cypri adfirmat auctor se in oraculorum editionem incidisse [100]). Ad augendam suspicionem altera nonnihil confert observatio. An casu factum videtur, quod utraque in parte Iudaeorum historia non sine studio tangitur? Illic quod de Debora et Iudicibus dictum est, adscripsi, hic cum alia tum Abraam et Moses atque adeo Philo de vita Mosis advocantur [101]). Neque illud praetermittendum est, quod et primae et secundae partis auctor ipsa oracula studiose perlegit: ille de argumenti summa hic de singulis exposuit, velut Homerum exstiturum qui fata heroum caneret [or. Sib. III p. 68. 174 Fr.], Cyprum et Antiochiam illam fluctibus hanc bello interituras, alia [p. 96].

Ob tria haec argumenta cum pars I et II eidem scriptori probabiliter adiudicentur, totum anecdotum uni deberi proclive est suspicari. Quodsi recte conieci, Ioannem Lydum tenemus totius auctorem. Nec desunt quae huic coniecturae faveant. I t a l i a m enim Lydus in libris servatis saepius adfirmat se peragrasse; Cypri eum moratum esse eo conligo, quod [‚de ostentis' c. 53] vexatas motibus regiones se dicit frequentasse,

---

100) ταύτης τῆς Ἑβραίας Σιβύλλης βιβλίῳ ἐνέτυχον ἐν Κύπρῳ.

101) ὅτι ἡ Ἰουδαία καὶ Χαλδαία ἐκαλεῖτο· καὶ γὰρ ὁ Φίλων τὸν Μωσέως βίον ἀναγράφων Χαλδαῖον εἶναι αὐτὸν λέγει, γεγενῆσθαι δ' ἐν Αἰγύπτῳ κτλ.

velut Laodiceam Phrygiam, Hierapolin, Philadelphiam [patriam suam] omnino 'tractus illos' Asiae' — qui Cyprum quoque complectuntur — Siciliam, Italiam. Egregie haec singularis notitia in Anecdoti auctorem quadrat, cui Cyprum et Cumas innotuisse vidimus. Sed licet haec sententia non omni dubitationi sit exempta, certissimum tamen est anecdotum iam Suidae praesto fuisse [cf. p. 53]. Gravissime igitur peccavit Alexandre p. 423, cum s. XV e nescio quibus pannis consutum illud esse sumeret. Quamquam ad augendam de Sibyllis notitiam nihil plane ex indice illo profici concedendum est, nisi quis forte in chronologiae Iudaeorum comparatione delectatur.

§ 4. De chronici Paschalis scriptore.

Transgredior ad chronici Paschalis catalogum. Cuius scriptor cum sub Heraclio anno 628 scribere desierit, illa aetate vixisse censendus est [102]). Is postquam ad Ol. V Erythraeam in Aegypto floruisse ex Eusebio adnotavit, aliunde omnes quotquot fuerunt Sibyllas enumerat: *γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλαι ια' Σίβυλλαι. Σ. ἡ Ἑβραία, Σ. ἡ Περσίς, Σ. ἡ Δελφίς, Σ. ἡ Ἰταλὴ ἡ Κιμμερία* [103]), *Σ. ἡ Σαμία, Σ. ἡ Ῥοδία, Σ. ἡ Κυμαία, Σ. ἡ Λιβυκή, Σ. ἡ Τρωάς, Σ. ἡ Φρυγία, Σ. ἡ Τιβουρτία.* Hic catalogus licet non decem sed duodecim complectatur, tamen quin cum Varroniano artissime cohaereat, dubitare non licet. Nam non solum eas exhibet, quae propriae sunt Varronis — Cimmeriam et Tiburtem —, sed Rhodia excepta plane easdem quas Varro recenset. Cur Libycam sede sua moverit, arbitrio chronographi tribuerim; idem ut numerum duabus augeret, eo

102) Cf. praef. Dindorfii in ed. I p. 516 [Bonn.]. Cur et Dindorfius et Th. Mommsenus [Abh. d. sächs. ges. d. wiss. 1850 p. 607] putent, duas in partes seiungendum esse chronicon, quorum prior — in quo inest index Sibyllarum — a. 354 scripta sit, Kiesslingius monuit causam non esse idoneam.

103) Ἡ Ἀδαή, ἡ Κιμμερία codd. corrigendum esse ex Anonymo [vel anecdoto] Ἰταλή et per se patet [cf. ΑΔΑΗ = ΙΤΑΛΗ] et coniecit Alexandre p. 55.

accidit, quod ei et Rhodiam nescio qua de causa inferre et Persidem ab Hebraea disiungere placuit. Hinc statim adparet in illius auctore utriusque gentis nomen exstitisse. Exclusis igitur Varrone, Fenestella, Lactantio ad Anonymum vel anecdoti scriptorem relegamur, nisi deperdito quodam libro usum illum esse existimabis. Quod utut se habet, hoc certum indice nos boni nihil addiscere.

§ 5. De Isidoro Hispalensi.

Tres eiusdem farinae restant indiculi, quorum vetustissimum ex Isidoro Hispalensi primum adponam [orig. VIII, 8]:

§ 1. *Sibyllae generaliter dicuntur omnes feminae vates lingua graeca. Nam σιός Aeolico sermone Deus, βουλήν Graeci mentem nuncupant, quasi ‚Dei mentem'. Proinde igitur quia divinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sibyllae nomine nominatae sunt.*

§ 2. *Sicut enim omnis vir prophetans vel vates dicitur vel propheta, ita omnis femina prophetans Sibylla vocatur, quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est.*

§ 3. *Decem autem Sibyllae a doctissimis auctoribus traduntur fuisse, quarum prima de Persis fuit; secunda Libyca; tertia Delphica, in templo Delphici Apollinis genita, quae ante Troiana bella vaticinata est, cuius plurimos versus operi suo Homerus inseruit.*

§ 4. *Quarta Cimmeria in Italia. Quinta Erythraea nomine Herophile in Babylone orta, quae Graecis Ilium petentibus vaticinata est et perituram Troiam et Homerum mendacia scripturum. [Dicta autem Erythraea quia in eadem insula eius inventa sunt carmina.] Sexta Samia [quae Phemonoe dicta est a Samo insula unde fuit cognominata.]*

§ 5. *Septima Cumana nomine Amalthea, quae IX libros attulit Tarquinio Prisco, in quibus erant decreta Romana conscripta. [Ipsa est Cumaea, de qua Vergilius: ultima Cumaei venit iam carminis aetas. Dicta autem Cu-*

mana a civitate Cumis, quae est in Campania, cuius sepulcrum in Sicilia adhuc manet.] *Octava Hellespontica in agro Troiano nata, quam scribitur Solonis et Cyri fuisse temporibus. Nona Phrygia quae vaticinata est Ancyrae. Decima Tiburtina, nomine Albunea.*

Quarum omnium carmina efferuntur, in quibus de Deo et de Christo et de gentibus multa scripsisse manifestissime comprobatur. Celebrior autem inter ceteras ac nobilior Erythraea perhibetur.'

Exceptis iis, quae uncis inclusi, omnia e Lactantio [103]) provenere; nam quod Babylone dicit Isidorus Erythraeam esse oriundam, id in uno invenitur Lactantio [104]) pendente illo quidem ex or. Sib. III fin. Tum § 7 Isidori, quae est de Erythraeae praestantia et de oraculorum argumento, cum eodem quo index fonte derivata esse censenda sit, denuo arguit Lactantium, qui unus iisdem fere verbis plane eadem narravit [105]). Denique Isidori vitium illud '*harum omnium carmina efferuntur*' ex uno explicatur Lactantio: '*H. o. c. et feruntur et habentur*'. — Altioris est indaginis, unde cetera Isidorus suppleverit. De Cumana incipiam, ubi, si missum facimus Vergilium, haec verba '*cuius sepulcrum in Sicilia adhuc manet*' ut multa ex Solini 'collectaneis' provenere [106]). Indidem Delphicam adscripsit ante Troiana bella vaticinatam esse eiusque plurimos versus Homerum operi suo inseruisse [107]).

103) De Varrone nemo cogitabit, cuius testimonia ex libris deperditis sumpta aliunde descripsisse Isidorum Kettnerus ['Varronische studien'] demonstravit. Sine argumentis hoc posuit Alexandre p. 286.

104) l. c. '*Erythraeam sese nominat ubi prolocuta est, cum esset orta Babylone.*'

105) l. c. '*Harum omnium Sibyllarum carmina et feruntur et habentur praeterquam Cumanae . . . Omnes igitur hae Sibyllae unum Deum praedicant, maxime tamen Erythraea, quae celebrior inter ceteras et nobilior habetur.*'

106) p. 38 Momms.

107) Video hoc iam adnotasse Dresselium in diss. Gotting. 'de Isidori fontibus'. Turin 1874 [rivista di filologia 1874].

Transeo ad Isidori Erythraeam: '*dicta autem Erythraea quia in eadem insula eius inventa sunt carmina.*' Haec ex Servio ad Aen. VI, 36 fluxere: '*dicit Varro Erythraeam creditam scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant libri, apud Erythraeam insulam ipsa inventa sunt carmina.*' Nunc ad ineptiarum quasi promptuarium accedo: '*VI Samia, quae Phemonoe dicta est a Samo insula, unde fuit cognominata.*' Cum quam absurde Phemonoe Delphica illa sacerdos diceretur a Samo insula cognominata esse, intellegerent editores, Samonoten nescio quam non minus inepte substituerunt [108]). Equidem sic malim interpretari — vereor enim ne aliter scriptorem pessimum ipsum et non librarios emendarem —: '*quae Phemonoe dicta est, a Samo insula, unde fuit cognominata* [scil. Samia].' Prava haec quidem sunt sed ab Isidoro corrupta. Etenim verba '*quae Phemonoe dicta est*' prave de Samia intellecta venere ex Servii comm. ad Aen. III 445 [109]). Etiam definitionem Sibyllae Varronianam ex Servio, non ex Lactantio Isidorus desumpsit, si quidem non cum Lactantio eam a *σιοῦ βυλήν*, sed ut Servius a *σιοῦ βουλήν* derivavit et in singulis plane conspirat [110]).

Verbo moneo corruptum Isidori indicem totum fere transiisse in Bedam Venerabilem quem ferunt [111]), ita quidem, ut multo exstet corruptior veluti pro 'Phemonoe' scripsit 'Beneventano'. Quodsi Isidorum non licet de Sibyllis consulere, multo magis Beda iste quam longissime abiciendus est: putidae igitur esset diligentiae furtum illius adponere.

108) Possis de Samonaea cogitare; at Georgius Cedrenus ad a. 657 a. Chr. n. [vol. I p. 197, 10] emendandus est: 'ἐφ' ὧν χρόνων Σίβυλλα ἡ Σαμωναία ἐγνωρίζετο· corr. Ἐρυθραία. Tres enim Sibyllae notae chronographis istis: Samia, Cumana, Erythraea. Samia [ut perperam vult Alexandre p. 35] non restitui debet, si quidem iam antea nominata erat ut Cumana quoque p. 189, 6. 249, 19.

109) Serv. '*virgo* [Cumana] *vero Phemonoe dicta est.*' Hoc falsum, cum Phemonoe Delphica sit sacerdos.

110) Thilo in nova Servii editione hoc non animadvertit.

111) Cf. or. Sib. ed. Opsopoeus p. 515.

IV. De Sibyllarum indicibus Suidianis.

Sensim, ut res et ratio ferebat, inde a laetissimis antiquitatis temporibus usque in tristissima processimus; spatium nihilo tamen secius nondum sumus emensi. Denuo igitur adcingamur, ut quantum residet, percurramus.

Subit miratio simul atque indignatio, quod Suidae de Sibyllis testimonium tanti quanti nullum fere aestimari video. Sane inest in Suidae farragine probi nonnihil: at non id ipsum antestantur, sed cetera, quae nullius sunt pretii. Duo enim in lexicon Suidae pervenerunt indices Sibyllarum, alter Varronianus, alter Sibyllas, quae scripta carmina reliquerint, recensens: inter quos adcuratior de Sambetha Iudaea disputatiuncula inserta est.

§ 1. De Anonymi indice apud Suidam.

Primum indicem adscribam Varronianum: *ὅτι Σίβυλλαι γεγόνασι ἐν διαφόροις τόποις καὶ χρόνοις τὸν ἀριθμὸν δέκα· πρώτη οὖν ἡ Χαλδαία, ἡ καὶ Περσίς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη· δευτέρα ἡ Λίβυσσα· τρίτη ἡ Δελφίς, ἡ ἐν Δελφοῖς τεχθεῖσα· τετάρτη ἡ Ἰταλική, ἡ ἐν Κιμμερίῳ τῆς Ἰταλίας· πέμπτη ἡ Ἐρυθραία, ἡ περὶ τοῦ Τρωϊκοῦ προειρηκυῖα πολέμου· ἕκτη ἡ Σαμία, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Φυτὼ περὶ ἧς ἔγραψεν Ἐρατοσθένης· ἑβδόμη ἡ Κυμαία, ἡ καὶ Ἀμάλθεια καὶ Ἡροφίλη· ὀγδόη τεχθεῖσα ἐν κώμῃ Μαρπησσῷ περὶ τὴν πολίχνην Γέργιθον, ἥτις*[111a]) *ἐνορίας ποτὲ Τρωάδος ἐτύγχανεν, ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου· ἐνάτη ἡ Φρυγία· δεκάτη ἡ Τιβουρτία, ὀνόματι Ἀλβουναία. φασὶ δ' ὡς ἡ Κυμαία θ' βιβλία χρησμῶν ἰδίων προσεκόμισε Ταρκυνίῳ Πρίσκῳ τῷ τηνικαῦτα βασιλεύοντι τῶν Ῥωμαίων· καὶ τούτου μὴ προσηκαμένου ἔκαυσε βιβλία γ'*[112]).

111a) ἥτις ex Anonymo correxit Wilamowitzius. codd. αἳ τῆς...ἐτύγχανον.
112) β' codd. correxi ex Anonymo.

Quoniam primam Suidas adpellat et Chaldaeam et Sambetham, statim ad Anonymum eiusque asseclas vocamur: quem ex iis oporteat eligamus, docet narratiuncula — manca illa quidem — de Sibyllae et Tarquinii conloquio, quae exstat in anecdoti scriptore et Anonymo, in ceteris non item. Adparet inter duos illos optionem esse datam. Qui etsi in plurimis — ut consentaneum — conspirant, inveniuntur tamen quae differant. Age ea cum Suida conferamus. Ac primum quidem conloquium illud quomodo enarrent adscribam:

Anonymus.	Anecdot. Paris.
φασὶ δὲ ὡς ἡ Κυμαία θ' βιβλία χρησμῶν ἰδίων παρεκόμισε Ταρκυνίῳ Πρίσκῳ τῷ τηνικαῦτα βασιλεύοντι τῶν Ῥωμαϊκῶν πραγμάτων .... καταφρονηθεῖσα .. πυρὶ παρέδωκε ἐξ αὐτῶν γ' etc.	*ὅτι τέταρτος ἀπὸ Ῥώμου τοῦ οἰκιστοῦ βασιλεὺς ἐν Ῥώμῃ γεγονε Ταρκύνιος Πρίσκος· γυνὴ δέ τις Ἀμάλθεια ἦλθε πρὸς αὐτὸν ἐπιφερομένη γ' βιβλίους χρησμοὺς Σιβύλλης τῆς Κυμαίας . . τοῦ δὲ καταφρονήσαντος ... ἔκαυσε τὸ ἕν* etc.

Suidam hoc loco Anonymo usum esse et verba ipsa demonstrant et eadem apud utrumque post catalogum sedes. Quae praeterea de Hellespontica profert Suidas, partim in anecdoto desunt [*ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου*] partim alia leguntur: iterum cum Anonymo Suidas consentit. Cf. enim eum cum hisce:

Anonymus.	Anecdot. Paris.
VIII. *Ἑλλησποντία τεχθεῖσα ἐν κώμῃ Μαρπησσῷ περὶ τὴν πολίχνην Γέργιθον, ἥτις ἐνορία ποτὲ Τρωάδος ἐτύγχανεν ἐν καιροῖς Σόλωνος καὶ Κύρου, ὡς ἔγραψεν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός.*	VIII. *ἡ Γεργιθία· πολίχνη δὲ περὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἡ Γέργιθος.*

Quodsi Suidae auctorem hodie manibus tenemus, intellegitur, cur in eos, qui Suidam mentione dignantur, antea invectus sim: immo respuendus est.

§ 2. De anecdoti Parisini indice apud Suidam.

Pergit Suidas: *Σ. Χαλδαία ἡ καὶ πρός τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη ἡ καὶ Περσίς, ἡ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη, ἐκ τοῦ γένους τοῦ μακαριωτάτου Νῶε, ἡ καὶ τὰ κατ' Ἀλέξανδρον λεγομένη προειρηκέναι, ἧς μνημονεύει Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας, ἡ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ μυρία προθεσπίσασα καὶ τῆς αὐτοῦ παρουσίας· ἀλλὰ καὶ αἱ λοιπαὶ συνᾴδουσιν αὐτῇ, πλὴν ὅτι ταύτης ἐστὶ βιβλία ιδ' περὶ παντὸς ἔθνους καὶ χώρας περιέχοντα· ὅτι δ' οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς εὑρίσκονται καὶ ἄμετροι, οὐ τῆς προφήτιδος ἐστὶν ἡ αἰτία ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων οὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου ἢ καὶ ἀπαιδεύτων γενομένων καὶ ἀπείρων γραμματικῆς· ἅμα γὰρ τῇ ἐπιπνοίᾳ ἐπέπαυτο ἡ τῶν λεχθέντων μνήμη· καὶ διὰ τοῦτο εὑρίσκονται καὶ οἱ στίχοι ἀτελεῖς καὶ ἡ διάνοια σκάζουσα· εἴτε καὶ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ τοῦτο γέγονεν, ὡς μὴ γιγνώσκοιντο ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ ἀναξίων οἱ χρησμοὶ αὐτῆς·* Verbis non opus est multis: compara modo anecdoti verba supra adscripta: habebis ipsum Suidae fontem: nam anecdoti scriptorem ea ipsum composuisse ibidem exposui.

Igitur haec quoque abicienda.

§ 3. De Hesychii indice apud Suidam et Eudociam.

1. Tandem nova quaedam ac proba apud Suidam!

Σ. Δελφίς, ἣν καὶ Ἄρτεμιν προσηγόρευσαν· γέγονε δὲ αὕτη πρὸ τῶν Τρωϊκῶν καὶ ἔγραψε χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Σ. Ἀπόλλωνος καὶ Λαμίας . . . Ἐρυθραία . . . συνετάξατο βιβλία ταῦτα· περὶ παλμῶν, μέλη, χρησμούς· λέγεται δὲ καὶ τρίγωνον εἶδος λύρας αὐτὴν πρώτην εὑρεῖν·

Σ. Ἔλισσα· ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν.

Σ. Θετταλὴ ἡ κληθεῖσα καὶ Μαντώ, ἀπόγονος Τειρεσίου.

Σ. ἡ Φρυγία ἡ κληθεῖσα ὑπό τινων Σάρυσις, ὑπὸ δέ τινων Κασσάνδρα, ἄλλων δὲ Ταραξάνδρα. καὶ αὐτὴ χρησμούς·

Σ. Κυμαία καὶ Σ. Θεσπρωτίς· ὁμοίως χρησμούς.

Quia in hoc articulo Sibyllarum scripta recensentur, cum ea lexici parte biographica, quam ex Hesychii onomatologi epitoma manasse dudum cognitum est, catalogus debet coniungi. Vnde hauserit Hesychius, mihi saltem non constat. Quamquam hodie eorum dominatur opinio, qui ad Aelii Dionysii Hal. ‚historiam musicam' et Hermippi Berytii ‚*περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων*' librum omnia referunt ita quidem, ut inter Dionysium et Hesychium Rufi cuiusdam ‚musicam historiam' censeant interfuisse. Quin Rufus ille Dionysii opus in compendium redegerit, nullus dubito; id quoque certum, saepius[113]) in Suidae lexico Aelium Dionysium occurrere. At quantum illi debeatur, scire velim; an praeter Hermippea omnia? At si quid aliud certum est philosophorum vitas fere integras ex Diogenis Laertii fonte — qui non fuit Dionysius — esse depromptas. Quas cur non a Dionysio maluit mutuari, qui si grammaticos et historicos sine dubio etiam philosophos tractavit? Eo potius res devenit, ut complures fontes Hesychius compilasse videatur. Quod qua ratione instituerit, exploratum nondum est; si constaret, multo certius de uniuscuiusque articuli Suidiani origine iudicare possemus, quam adhuc licet.

Quae cum ita sint, ne id quidem ullam habet vim, quod Photius[114]) in Rufi libro complures invenit Sibyllas non obiter tractatas. De nomine auctoris *ἐπέχειν* satius videtur, de tempore — Hadrianeo scil. — nullus haereo, cum quod ultimum, si quid video, in biographica memoria congerenda ea aetas laborem consumpsit, tum quod indiculum Clemens

113) s. v. Παμφίλη [et s. v. Σωτηρίδας], s. v. Ἡρωδιανός. Brevi moneo, etsi Lobeckius Agl. I 351 dudum dixit, eum Dionysium qui s. v. Ὀρφεύς citatur quis fuerit dubium esse, temere vulgo Halicarnasensem dici. — Ceterum testimoniorum ‚de Suidae fontibus' mole hanc scriptiunculam onerare displicet.

114) Bibl. 103b Bekker: ἔτι δὲ περὶ γυναικῶν μαντικῶν ἀναγράφει, τίνες τε καὶ ὅθεν αἱ καλούμεναι Σίβυλλαι.

Alex. strom. p. 144 S. — exeunte altero post Chr. n. saeculo — memoriter quidem neglegenterque scriptum attulit eundem: „καὶ Σιβυλλῶν τὸ πλῆθος, ἡ Σαμία, ἡ Κολοφωνία, ἡ Κυμαία, ἡ Ἐρυθραία, ἡ Φυτώ, ἡ Ταραξάνδρα, ἡ Μακέτις, ἡ Θετταλή, ἡ Θεσπρωτίς cf. p. 3 sq.

2. Erunt qui supervacuum ducant Eudociam, ad quam nunc mihi transeundum est, omnino nominasse, quandoquidem ex eo quem hodie tenemus Suida tota pendeat. At quamvis in plurimis cum Suidae verbis consentiat, habet tamen interdum, quae in illo desiderantur. Qua de causa cum alii tum Flachius nuperrime[115]) ad „Hesychii epitomam' Eudociam et Suidam reduxerunt. At conferamus de Sibyllis articulos [cf. Villoison. anecd. gr. I s. v.]:

Σ. Ἀπόλλωνος καὶ Λαμίας, Ἐρυθραία . . . δευτέρα ἡ Ἔλισσα· ἔγραψε μαντείας καὶ χρησμοὺς δι' ἐπῶν. τρίτη ἡ Θετταλή ἡ κληθεῖσα καὶ Μαντώ, ἀπόγονος Τειρεσίου. τετάρτη ἡ κληθεῖσα ὑπό τινων Σάρβις [sic!], ὑπὸ δέ τινων Κασσάνδρα, ἄλλων Ταραξάνδρα, ἔγραψε χρησμούς. πέμπτη Κυμαία. ἕκτη Θεσπρωτίς· ἔγραψε καὶ αὐτὴ ὁμοίως χρησμούς. ἑβδόμη Χαλδαία πρός τινων Ἑβραία ἡ περὶ Χριστοῦ προφητεύσασα[116]).

Cum sit perspicuum Christianam S. post Thesprotidem in auctore suo legisse Eudociam, et Hesychius ut paganus removendus est, et epitomator Hesychii, quem solum Suidas[117])

---

115) „Unters. zu Suidas u. Eudocia.' 1879 pp. 35—101.

116) Cum Eudocia in catalogo Sib. certis utatur numeris, Suidas non item, Flachius numeros censet eosdem iam in Hesychio fuisse, unde Eudociam quoque hausisse sine idoneis argumentis persuadere studuit. Mitto nunc argumenta: rem quaero. Ignorat enim Flachius Clementis indicem Suidiani adfinem, de quo quae supra dixi sufficiunt. Iam vero et apud Suidam et apud Clementem exstat Colophonia S. [i. e. apud Hesychii et auctorem et compilatorem]: frustra igitur in Hesychio [et in Hesychiana epitoma] Colophoniam negat exstitisse Flachius p. 73. Hinc adparet Eudociam et contraxisse pleniorem indicem, et numeros illos ipsam adiecisse.

117) Cur Flachius — Schneideri et Rohdii auctoritatem secutus —

ante oculos habebat, cum de Hesychio s. v. scriberet; Suidae ipsius enim haec sunt verba [118]): *ὡς ἐκ τούτων ὑπόνοιαν παρέχειν, μὴ εἶναι αὐτὸν Χριστιανόν, ἀλλὰ τῆς Ἑλληνικῆς ματαιοπονίας ἀνάπλεων·* Contra apud Suidam Thesprotidem Christiana excipit, haec ex anecdoto, Thesprotis et quae antecedunt ex Hesychio sumptae: Suidam igitur Eudociae praesto fuisse censeo — quamquam non eum, quem nobis codd. tradunt, sed pleniorem [119]).

V. Eratosthenis de Sibyllarum numero iudicium.

Postquam Sibyllarum indicum et rationes et auctores investigavi, res ipsa flagitat, ut quid nobis de Sibyllarum numero sit iudicandum, quod eius potest fieri, doceatur. Errare qui omnino in fabulis eas opinantur versari, eo est manifestum, quod vel recentioribus temporibus inter Graecos feminae exstiterunt divino spiritu plenae; velut Phaennis Chaonum regis filia, quae apud Dodonaeas Thesprotiae fata praedicebat ‚*Ἀντιόχου μετὰ τὸ ἁλῶναι Δημήτριον αὐτίκα ἐς ἀρχὴν καθισταμένου*' [Paus. X, 12], in ipsa cultissimae aetatis luce versatur. Huic ipsum Sibyllae nomen Pausanias fuisse negat, tribuit aequalis Pausaniae scriptor, cuius memoria per Suidam [et Clementem] s. v. *Σ. Θεσπρωτίς* ad nos pervenit. Alteram commemoro teste Callisthene Athenaidem Erythraeam ‚quasi Sibyllam', Alexandri Magni coaevam*). Thesprotiam igitur — barbaram — et Ery-

---

Suidae s. v. Ἡσύχιος de Hesychii fide iudicanti fidem deroget, non video. Immo hac una in re Suidae iudicio — ceteroquin nulli — confidendum.

118) Similia Suidae iurgia congessit Wachsmuth. Symb. phil. Bonn. I p. 141 sqq.

119) Flachius quidem eos locos, qui docent Eudociam Suidae codice usam esse, omnes — plerumque sine causa — opinatur postea a librariis ex Suida in Eudociam esse interpolatos.

*) Quamquam eadem apud Zenobium IV, 78 audit Sibylla:

κλαίει ὁ νικήσας, ὁ δὲ νικηθεὶς ἀπόλωλεν·

thraeam — Ioniam —, sive Sibyllas seu ‚quasi Sibyllas' nuncupabis, tenemus. Et Thesproti quidem a ceteris barbaris hac re nihil differunt: compara modo Germanos antiquos, qui in feminis ‚inesse sanctum aliquod et providum' putabant nec aut consilia aut responsa Auriniarum Veledarumve aspernabantur. Quapropter ne Heraclidi quidem Pontico Phrygiam testanti S. obstrepo, quandoquidem Phrygia quasi receptaculum erat barbararum religionum licentiae. — Tales mulierculae quod etiam apud Ionas inveniuntur, ex Ionum moribus facile explicatur. Apud quos cum mores Asianis barbaris proximi virgines matronasque inter patris maritique claustra delitescere cogerent, fieri non poterat, quin quaecunque ad altiora spiraret aut ad meretricias Aspasiarum artes detruderetur aut divino spiritu plena vitae et consuetudinis vincula exueret. Poetriam nullam vidit Ionia[120]): plurimas et ingenio praestantissimas Aeolenses Doriensesque; apud alteros Sibyllarum memoria frequens, alteros ullam tulisse aegre nobis persuaderemus; ita idem luxu Asiano efficitur quod inculta barbarie.

Nunc videndum est, quas S. veras esse arbitremur. Qua in re monumenta Sibyllis publice exstructa nihil omnino demonstrant, nisi forte Tellianis apud Helvetios monumentis fides est habenda. Nitendum potius est solis in testimoniis satis certis, sat vetustis. Quam legem secutus antiquissimam et nobilissimam Athenaidis civem probo Herophilam Erythraeam saeculo VIII, teste et Apollodoro Erythraeo annalium Erythraeorum scriptore et summo inter veteres — praeter

---

αὕτη παρῆλθεν ἐκ χρησμοῦ Σιβύλλης τῆς Ἐρυθραϊκῆς· περὶ γὰρ Φιλίππου μαντευομένη μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην τὸ ἔπος εἶπεν· ἐπειδὴ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι καὶ οἱ Θηβαῖοι ἡττηθέντες ἀπώλοντο, Φίλιππος δὲ νικήσας μετὰ τὴν μάχην εὐθὺς ὑπὸ Παυσανίου διεφθάρη. Athenaïdem etiam de Alexandro praelocutam esse p. 2 commemoravimus. — Ex talibus oraculis Sibyllam proprie Macedoniam fictam esse opinor.

120) Nam quae vulgo fertur ‚Aristomache Erythraea' [a Polemone in libro περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς θησαυρῶν commemorata fr. XXVII Pr.] iure a Prellero ad Erythras in Cithaerone sitas revocata est.

unum Demetrium Scepsium — consensu; alteram Samiam Phyto in antiquis Samiorum annalibus celebratam. —

Cumanam dicuntur testari noviciae Romanorum fabulae, novicia ad Cumas Romamque monumenta, Pseudohyperochi *Κυμαϊκά:* quorum testimoniorum nullum eam habet vim, quae hanc unquam fuisse ut credamus cogat. Romam fabula non dubium quin Cumis pervenerit atque, ut Tiburtina oreretur, effecerit. At videtur mihi etiam Cumana Erythris esse repetenda. Quamquam haec res longiorem disputationem requirit, quae de Timaeo potissimum erit instituenda. —

Delphica quamquam a Delphis mirum quantum ut civis et popularis efferebatur, peregre tamen ea quoque ascita coalescit cum Heraclidis Phrygia. Commodo enim accidit, ut hanc, qua ratione sit orta, dispicere liceat. Cum enim hosce versus cecinisset:

> *ὦ Δελφοί, θεράποντες ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος*
> *ἦλθον ἐγὼ χρήσουσα Διὸς νόον αἰγιόχοιο,*
> *αὐτοκασιγνήτῳ κεχολωμένη Ἀπόλλωνι*

adparet, quam fuerit proclive de S. proprie Delphica cogitare; hinc fluxit, quod soror Apollinis, hinc, quod Iovis filia vocitatur. — Eodem modo de Rhodiae origine quam solum chronicon Paschale, nullius fidei id quidem hac in re, attulit iudico: ferebantur enim de Rhodo insula oracula Sib. [cf. Paus. II, 7, 1 et discriptionem totius orbis c. a. 350 confectam, geogr. min. II p. 527 Müller].

Mitto ceteras Sibyllarum umbras, ut Colophoniam, ‚Tiresiae filiam'; nihil de Libyca, ‚Iovis et Lamiae progenie' dicam — quam ex Erythraea sumptam esse mihi persuasi [cf. p. 61 et Suid. s. v.] —; pauca adiungam de Troiana. De qua quae ementitus est Demetrius Scepsius, nihili facienda sunt. Nihil praeterea probat, quod illius sepulcrum in Troade [vel potius sepulcra, alterum prope ad Alexandriam auctore Demetrio, alterum Gergithe teste Phlegonte cf. Steph. Byz. s. v. *Γέργις*] exstabat, quodque Gergithii Sibyllae imaginem nummis

incidebant [Steph. l. c.]. Unus restat Heraclides Cyri et Solonis aetate eam vixisse adfirmans. Inde hoc consectarium, iam Heraclidis tempore ibi Sibyllam aliquam nec vetustam nec pernobilem in hominum ore fuisse. Quae si in rerum veritate viguit, iudico eam non pro Aeolensi, sed barbara [Phrygia scil.] esse habendam; idque iudicavit Martiani Capellae auctor doctissimus.

Complectar, quae pro certis de Graecorum Sibyllis docere possum: Duae erant Ioniae, prior Erythraea, Samia posterior, illa s. VIII haec paullo recentior; ceteras, quae vulgo feruntur, censeo esse abiciendas.

Haec cum primus mihi viderer ipse invenisse, mox intellexi dudum ante me ab homine eruditissimo esse proposita.

1. Etenim in chronico Eusebii de Sibyllis nihil praeter haec adnotata sunt: sub Ol. IX [II p. 82 Schöne] *τούτῳ τῷ ἔτει Σ. ἡ Ἐρυθραία ἐν Αἰγύπτῳ ἐγνωρίζετο* . sub Ol. XVII [II p. 84] *ἔτι δὲ Σ. ἡ Σαμία χρησμῳδὸς ἐγνωρίζετο* [121]) [*ἡ γὰρ Κυμαία κατὰ τοὺς Τρωϊκοὺς χρόνους ἤκμαζεν*]. Verba *ἡ γὰρ — ἤκμαζεν* uncis circumdedi, quia a Syncello demum sunt addita: suo enim loco nihil de Cumana in corpore Eusebiano invenitur; praeterea chronologiae peritorum*) nemo unquam Cumas Italiae ante bellum Troianum conditas esse contendit. Quodsi ex tot Sibyllis, quae apud antiquos inclaruerant, in chronica seriora eas tantum videmus esse propagatas, quas nos ex coniectura — ut spero satis certa — sumus adepti, easque eodem plane tempore [saec. VIII] quo in Erythraeorum Samiorumque annalibus conlocatas: necessario consequitur exstitisse chronographum qui et usus sit illis annalibus et sua Eusebio praebuerit. Atqui cum compertum sit Eratosthenem Samiam S. ex Samiorum annalibus protraxisse eundemque saepe in mole

---

121) post χρησμῳδός secuntur verba: ‚ἡ καὶ Ἡροφίλη‘. At nusquam audit Samia ‚Herophile‘, semper Erythraea, a Timaeo solo Cumana: nisi igitur verba illa ad Cumanam trahenda videntur, a Syncello sunt adiecta.

*) Ex fabula de Sibylla Italica, quae est apud Vergilium alios, sumptum Wilamowitzio illud videtur.

Eusebiano latere, concludo Eusebii doctrinam illam esse Eratosthenis. Et quoniam ut dixi praeter Erythraeam et Samiam apud Eusebium nulla reperitur, duas tantum illas Eratostheni probatas esse sumo.

2. Idem altera via efficere possum, adsumpto Aeliani [V. H. 12, 35 cf. p. 3] indiculo: Σ. τέτταρες· ἡ Ἐρυθραία, ἡ Σαμία, ἡ Αἰγυπτία, ἡ Σαρδιανή. Aegyptiam S. — ex Erythraea primitus deductam quae in Aegypto diutius erat morata cf. Euseb. l. c. — et Sardianam nunc non curo; Erythraeam curo et Samiam. Quomodo enim factum esse existimas, ut Erythraea et Samia hoc in indice ita ut in Eusebiano sese excipiant, nisi fuit qui illum ordinem auctoritate sua in posterum stabiliret? Iterum igitur ad nobilem quendam chronographum deducimur.

3. Denique rem Varronis ope profligabo: neque enim cum duplici Eusebii Aelianique testimonio Varro congruit tantum, sed chronographi nomen, quod quaerimus, addidit: „*Quintam Erythraeam, quam Apollodorus Erythraeus adfirmat suam fuisse civem.*“ [cetera aliunde addidit Varro*)] „*Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum.*“ Hinc tria lucramur gravissima: Primum et nomen Eratosthenis et in scribendo rationem, quae tam fuit diligens et adcurata, ut fontes purissimos — annales dico illos antiquissimos — non solum adiret et Timaei ceterorumque fide indignorum auctoritati anteponeret, verum etiam citaret. Deinde Apollodorum illum 'Ἐρυθραϊκῶν' scriptorem discimus Eratosthenem aetate praecessisse. Denique — quod mihi perquam gratum obtigit — ratiunculam meam ampla argumentatione confectam, quoniam cum Eratosthene antiquorum criticorum paene summo prorsus conspirat, veram esse confido[122]. Vix igitur opus est fraudis

*) Nam Apollodorus Erythraeus non potuit ante 'Troiana bella' eam removere, quoniam Erythrae postea conditae sunt.

122) Res plurimi aestimanda est. Cf. Valer. Max. I p. 24 Halm:

coarguere Dionysium Scytobrachionem [apud Nicolaum Damascenum. Müller. F. H. G. I, 41 sq. cf. Welcker kl. schriften I p. 440], quod Herophilam Epheso a Cyro arcessitam esse mentitus est, a qua sapientiam disceret, quodque eandem fecit iuxta Croesi rogum versus canentem. Mera ea quidem mendacia! Octavo enim saeculo vixit Herophila [Erythraea]. — Facile nunc, quae S. — graeca scil. — Atheniensibus V et IV s. innotuerit, potest discerni, si quidem optio datur inter Erythraeam et Samiam: ceterae id temporis aut omnino non ferebantur, aut saltem, uti par erat, in tenebris iacebant. Etenim quae vel propter celebritatem praeferenda esset Erythraea commonstratur — ni fallor — ab Euripide. An casui tribuis, quod, cum constet — ex Eratosthene cf. Euseb. l. c. — Erythraeam in Aegypto diutius vixisse, Libycam suam S. fecit Euripides? Erythraeam igitur eamque solam novere Euripides, Aristophanes, Plato [cf. p. 1]. —

Ex Ionia, praecipue tamen Erythris, ad ceteros Graecos — et Romanos — Sibyllarum oracula, quatenus erant genuina, pervenerunt; Iones ipsi Sibyllarum genus — ideoque nomen non graecum — a barbaris Asianis quin mutuati sint, nullus dubito. —

‚*Sami Prienensibus auxilium adversus Caras implorantibus adrogantia instincti pro classe et exercitu Sibullam eis derisus gratia miserunt. Quam illi velut divinitus datum praesidium interpretati libenter receptam vera fatorum praedictione victoriae ducem habuerunt.*' Quodsi proximum est veritati, illam historiolam ex Samiorum annalibus esse oriundam, belli tempus Sibylla suppeditat: Olymp. XVII. — Huius historiolae cum ea quae est de Tyrtaeo magistello Aphidnaeo similitudo mihi demonstrare videtur tales fabellas in Graecia notas fuisse. Ceterum, utrum S. Samiam an Erythraeam Heraclitus in mente habuerit [fr. XII Bywater] non discerno. Mirum, quod Bergkius Heraclitum de ‚Sibylla' diserte loquentem credit non ‚Sibyllam' sed Pythiam respexisse [griech. literaturgesch. I, 340, 10].

Epimetrum.

Alexander Polyhistor *περὶ Λυκωρείας.*

Supra docui Alexandrum ‚de oraculo Delphico' libros ad minimum duos edidisse. Adsumendus nunc alter eiusdem liber est, qui fuit ‚de Lycorea'. Quem ut oblivioni eripiam, a Stephano Byz. proficiscar:

s. v. *Λυκώρεια· κώμη ἐν Δελφοῖς· Καλλίμαχος γ' ἀπὸ Λυκωρέως τοῦ βασιλέως· ὁ πολίτης Λυκωρεὺς καὶ Λυκώριος καὶ Λυκωρείτης· ἔστι καὶ Λυκώρειος Ζεύς· καὶ Λυκώρειον διὰ διφθόγγου.*

Λύλη· πόλις Ἀρκαδίας· Ἀλέξανδρος β' ‚περὶ Λυκωρείας'· τὸ ἐθνικὸν Λυλαῖος· Editores „*Ἀναξανδρίδης*" substituere: at coniecturis abstinendum est. Tamen Stephani verba emendationem requirunt. Etenim nec ‚Lyla' urbs fuit, et exspectatur Alexandri nomen ad vocem ‚*Λυκώρεια*' adscriptum. Transponendo nihil sanat Meinekius, quoniam corruptum illud ‚*Λύλη*' retinet. Rectam viam mihi videor hac ratiocinatione ingressus esse: Cum in Arcadia prope ad Pheneum in montibus Lycuria vicus et a Pausania commemoretur [VIII, 19, 4] et hodie exstet [Curtius Pelop. I, 213], totum articulum s. v. *Λύλη* cum priore s. v. *Λυκώρεια* esse coniungendum. Corrigo igitur *ΛΥΛΗ* in *ΑΛΛΗ*; verba ‚*τὸ ἐθνικὸν Λυλαῖος*' ut post corruptelam nata eicio. Deinde conlato Pausania, qui bis vicum Arcadiae scripsit per diphthongum, verba ‚*διὰ διφθόγγου*' ad vicum Arcadiae trahere placet. Ita omnia plana sunt atque sana. Vide enim:

Λυκώρεια, κώμη ἐν Δελφοῖς . . . καὶ Λυκούρεια διὰ διφθόγγου ἄλλη, πόλις Ἀρκαδίας· Ἀλέξανδρος ἐν β' περὶ Λυκωρείας.

Argumentum libri ad cultum Apollinis et Iovis Parnassium spectasse videtur. Ascivit, ut par erat, Lycuream Arcadiae religionesque illas feras atque cruentas quibus Arcades Apol-

linem et Iovem colebant [123]). Cumque Veiovis, quem inter duos lucos venerabantur Romani, Apollini φυξίῳ sit simillimus, prona est coniectura Alexandrum illos inter se comparasse vel potius alterum ex altero derivasse [124]), quemadmodum idem Liberum Romanorum ex Dionysio Eleutherensi originem duxisse — puto in libro ‚de Roma' — adfirmavit [125]).

Denique fr. Alexandri commemoro ex Macrobio Saturn. I c. 18, 11 a C. Müllero adscriptum, quo doctissime de ‚Sole' et ‚Libero' [= Sebadio] Thracum disputavit. Utrum Alexandri librorum egregius Macrobii auctor expilaverit, pro certo dici nequit, quamquam veri est similius de Lycorea scribentem Alexandrum Apollinis cultu latius persequendo ad Sebadium Thracem esse delatum. —

---

123) De quibus cf. O. Jahnium, ber. d. sächs. ges. d. Wiss. 1847 p. 420 sqq.

124) Schol. ad Aen. II, 761: ‚*quem* [locum asyli] *deus Lucoris, sicut Piso ait, curare dicitur*'. Jahnius p. 429 ‚Lycoreus' vel ‚Lycores' emendandum esse ratus Pisonem hunc a vetere ‚annalium' scriptore facit diversum, putatque eum vixisse vergente primo a Chr. n. saeculo. Hartungius [religion d. Römer II, 54 sqq.] corrigit ‚Lucaris', consentiente, ut audio, Th. Mommseno. Facili Jahnii coniecturae obstat, quod Piso alter, Hartungio, quod Lucaris aliunde non notus. — Si exploratum esset, Alexandrum primum Lycorem et Apollinem φύξιον coniunxisse, Pisonem illum ab Alexandro pendere statuerem. —

125) cf. Plut. qu. Rom. p. 289 [i. e Iuba]. —

Index capitum.

Index rerum.

---

*) Kiesslingio Ausonius non ad indicem sed ad tres illas Sibyllarum statuas Romae positas videtur respicere.

**) De Pausania nunc conferendum Wilamowitzii ‚commentariolum grammaticum' Gryphiae 1879.

Index locorum.



V i t a.

Ernestus Guilelmus Theodorus Maass natus sum pridie idus Apriles anni 1856 Colbergae Pomeraniae patre Theodoro — qui iam ante hos viginti annos obiit — et Carolina e gente Bohlmann matre optima. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis in ludo litterario Colbergensi imbutum gymnasii Colbergensis praeceptores erudiverunt, e quibus plurimum Schmiederi rectoris nunc Schleusingensis disciplinae debeo: idem litterarum antiquarum studium sponte in me natum suavi adhortatione et consuetudine fovit. Philologiae igitur operam daturus anni 1875 aestate Tubingam adii, deinde Gryphiam me contuli ibique octo mansi semestria.

Docuerunt me per hoc temporis spatium Keller Schwabe Teuffel Tubingenses; Gryphiswaldenses Hiller, Kiessling, Lütiohann, Susemihl, v. Wilamowitz; Vogt, Wilmanns; Baier Schuppe; Hirsch. Exercitationes frequentabam Wilamowitzii, epigraphicas et metricas; Schuppii et Susemihlii philosophicas; Preuneri et Schwabii archaeologicas; Hirschii historicas et geographicas; Vogtii et Reifferscheidii germanisticas. Seminarii germanistici ut sex menses sodalis essem ordinarius, permisit Reifferscheidius; philologici sodalis extraordinarius duo semestria fui moderantibus Hillero, Kiesslingio, Wilamowitzio, ordinarius quattuor, unum senior. Eis igitur omnibus debitas refero gratias.

Verum exoptatissima hac occasione testari quanta in me semper fuerit Kiesslingii et Wilamowitzii benevolentia fert animus eiusque me in omne tempus profiteri pie memorem.

Sententiae controversae.

---

1. Eur. Alc. 30 sq. sic emendandus:
   ἀδικεῖς αὖ τιμῶν ἐνέρους [codd. *τιμὰς ἐνέρων*]
   ἀφοριζόμενος καὶ καταπαύων.

2. Eur. Iphig. Taur. 957 *μέγα στενάζων οὕνεκ' ἦν μητροφονεύς* spurius.

3. Polyb. XII, 23, 8 *περὶ μὲν οὖν Ἀριστοτέλους . . ἱκανὰ ταῦθ' ἡμῖν ἔστω κτλ.* [*ἐστί* codd. *ἔσται* Bekkerus].

4. Sueton. Tiber. 56 temere editur ‚*Xenonem quendam exquisitius sermocinantem cum interrogasset etc.*' scr. *Zenonem* [scil. Myndium grammaticum].

5. Seleucum Homericum non paullo post Aristarchum sed Tiberii demum aetate floruisse censeo.

6. Epitomarum Harpocrationearum archetypus interpolationem ex Hesychio Illustrio haustam passus est s. v. *Ἀναξαγόρας* conlato Suida s. v.

7. Auctor Diogenis Laertii IV, 2, 4 *Πλούταρχος δέ φησιν ἐν τῷ Λυσάνδρου βίῳ καὶ Σύλλα* conlectione vitarum Plutarchearum nondum usus est.

8. Errant et veteres et recentiores qui librorum Sibyllinorum iussu sacra peregrina antiquissima a Romanis instituta esse docent.

Ienae, typis Ed. Frommanni.



BF1762
M3
179403
Maass


